Sch 31



DE VERBO DEI

ADVERSARIA THEOLOGICA *

PRAENOTIONES.

§ 1. *Divina revelatio.*

Divina revelatio, universe ac generatim, est *manifestatio quaedam veritatis divinitus facta.* Omne autem, quod manifestatur, sub lumine quodam manifestatur, iuxta illud Apostoli Ephes. v. 13. *Omne enim, quod manifestatur, lumen est.* Unde de ratione divinae revelationis est, ut mens a Deo illuminetur ad veritatem percipiendam: quo sensu dicitur de Verbo, Ioan. i. 9. *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Mens autem humana in veritate cognoscenda a Deo illustratur, ut auctore naturae vel gratiae.

Hinc duplex revelationis modus, eique correspondens duplex veritatum ordo; *naturalis* videlicet et *supernaturalis.* Hanc distinctionem ita paucis complexus est Angelicus Doctor. " Cum quaelibet virtus creata sit finita, erit eius efficacia ad determinatos effectus limitata. Unde in aliquos effectus non potest, nisi nova virtus addatur. Sic igitur sunt quaedam intelligibiles veritates, ad quas se extendit efficacia intellectus agentis; sicut principia

---

* Tradita in Collegio Lavalliensi S. I. in Gallia an. 1879. a P. S. Schiffini eiusdem Soc.

1797

quae naturaliter homo cognoscit, et ea quae ab his deducuntur: et ad haec cognoscenda non requiritur nova lux intelligibilis, sed sufficit lumen naturaliter inditum. Quaedam vero sunt, ad quae principia praedicta non se extendunt; sicut ea quae sunt fidei, et rationis facultatem excedentia, ut futura contingentia, et alia huiusmodi; et haec cognoscere mens humana non potest, nisi divinitus novo lumine illustretur superaddito lumini naturali. Quamvis autem non requiratur novi luminis additio ad cognitionem eorum, ad quae naturalis ratio se extendit, requiritur tamen divina operatio. Praeter operationem enim, qua Deus naturas rerum instituit, singulis formas et virtutes proprias tribuens, quibus possent suas operationes exercere, operatur etiam in rebus opera providentiae, omnium rerum virtutes ad actus proprios dirigendo et movendo. Ita enim universa creatura divinae gubernationi subiicitur, sicut instrumenta subduntur gubernationi artificis, et qualitates naturales virtuti animae nutritivae, ut dicitur 2. *de Anima:* unde sicut ex calore naturali sequitur opus digestivae secundum regulam quam imponit calori ipsa vis digestiva, et omnes virtutes inferiores corporum operantur secundum quod diriguntur et moventur ex virtutibus corporum caelestium; ita omnes virtutes activae creatae operantur secundum quod diriguntur et moventur a Creatore. *Sic igitur in omni cognitione veritatis indiget mens humana divina operatione: sed in naturaliter cognitis non indiget nova luce, sed solo motu et directione eius; in aliis autem etiam nova illustratione.* „ (Super Boeth. *De Trinitate*, q. 1. a. 1.). Hoc autem est diligenter animadvertendum, quod licet nomen *revelationis* in quodam vero sensu tribui possit notitiae rerum, quam naturaliter acquirimus; siquidem naturale intelligentiae nostrae lumen est participatio quaedam divini luminis, ac Deus ceu principalis causa in eius explicatione operatur: proprie tamen et strictim loquendo, non convenit nisi veritatibus, ad quas homo naturali lumine assurgere nequit, vel saltem quae manifestantur non evolutione naturali intelligentiae, sed per medium extra vires naturae positum, quale esset ex. gr. divinae auctoritatis

testificatio. Ratio est, quia revelatio, iuxta vim vocis, significat remotionem veli quo aliquid tegitur, ac proinde supponit veritatem, quae revelari dicitur, per se quodam quasi velamine obtegi respectu subiecti cui aperitur. Id autem, stricte loquendo, non competit iis veritatibus quae proprio et naturali lumini eiusdem subiecti substant. Quare Apostolus de iis, quae naturaliter cognosci poterant de Deo a philosophis gentilibus, ait Rom. I. 9. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.* E converso 1. Cor. II. 10. vocat *profunda Dei*, quae per se abscondita sunt a naturali rationis captu, quaeque proinde cognoscimus propterea quod *nobis revelavit Deus per Spiritum suum.* Ceterum ad ambiguitatem tollendam, si quando nomen *revelationis* tribuitur cognitioni *naturali*, adiungi solet appositum *naturalis*, ut sic a propria revelatione, quae semper ratione saltem *medii* supernaturalis est, distinguatur.

Haec *supernaturalis revelatio* dupliciter rursus distinguitur secundum doctrinam Apostoli 1. Cor. XIII. 8 sqq., videlicet in *perfectam* et *imperfectam.* Prior fit per ipsam praesentialem exhibitionem eorum quae revelantur, altera mediate et sub quorumdam signorum involucris: prior est clara, altera obscura; unde 2. Pet. I. 19. illa comparatur *diei*, haec vero *lucernae lucenti in caliginoso loco*: prior excipitur per visionem facialem, videlicet rei secundum quod est in se, altera potius per auditum, seu in *modum doctrinae*, sicut parvuli edocentur a magistro. Cf. S. Thomam (Qq. Disp. Ver. q. 14. a. 10.) ubi egregie omnino et summatim hanc rem exponit.

Quoniam haec doctrina, qua ab ipso Deo in hac vita edocemur, *locutione divina* perficitur, hic conceptus est diligenter evolvendus. Iam, prout notavit Angelicus, *nihil est aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifestare.* (*Summa th.* 1. p. q. 107. a. 1.) Hinc *locutio* est propria actio entis intelligentis, qua intelligentis, *per se* ordinata ad suam mentem alteri communicandam. *Per se*, inquam, quia non sufficit ad locutionem, ut ex effectu aliquo producto ab ente intelligente arguatur utcumque

quid in mente habeat: alioquin Deus loqueretur nobis quaecumque evidenter cognoscimus, nam eo ipso possumus colligere illa obiecta esse in mente divina. Hoc itaque requiritur ad rationem locutionis, quod ita procedat ab intelligente, ut ex vi actionis qua producitur sit manifestativa mentis loquentis. Propterea in divinis sola prima processio se habet ut locutio.

Terminus per locutionem productus dicitur *verbum*. Signum vero externum, quod a loquente adhibetur ut sua locutio ad alium perveniat eique innotescat, dicitur *vox*, eaque nos praesertim indigemus. Pulcre Gregorius M. (2. *Mor.* c. 4.). " Alienis oculis intra secretum mentis, quasi post parietem corporis stamus: sed cum manifestare nosmetipsos cupimus, quasi per linguae ianuam egredimur, ut quales sumus intrinsecus ostendamus. „ Idcirco in *verbo exteriori et sensibili* duo sunt distinguenda, alterum *materiale*, *formale* alterum. *Materialiter* se habet signum externum et sensibile quod adhibetur, ex. gr. *vocabula*, *nutus* etc. *Formaliter* est sententia mentis, quae per materiale signum exprimitur, et qua hoc informatur et constituitur in ratione verbi. Apposite Augustinus (Serm. 288. n. 3.) " Verbum si non habeat rationem significantem, verbum non dicitur. Vox autem, etsi tantummodo sonet, et irrationabiliter perstrepat, tamquam sonus clamantis, non loquentis, vox dici potest, verbum dici non potest.... Verbum valet plurimum et sine voce: vox inanis est sine verbo. Reddamus rationem, et quod proposuimus, explicemus. Ecce voluisti aliquid dicere: hoc ipsum, quod vis dicere, iam corde conceptum est, tenetur memoria, paratur voluntate, vivit intellectu. Et hoc ipsum, quod vis dicere, non est alicuius linguae. Res ipsa, quam vis dicere, quae corde concepta est, non est alicuius linguae, nec graecae, nec latinae, nec punicae, nec hebraeae, nec cuiusdam gentis. Res est tantum corde concepta, parata procedere. Ergo, ut dixi, res est quaedam, sententia quaedam, ratio corde concepta, parata procedere ut insinuetur audienti. Sic igitur quomodo nota est ei, in cuius corde est, verbum est iam notum dicturo, nondum audituro.... Invenit Graecum? graecam vocem

quaerit qua procedat ad Graecum. Invenit Latinum? latinam vocem quaerit qua procedat ad Latinum. Invenit Punicum? punicam vocem quaerit qua procedat ad Punicum. Remove diversitatem auditorum, et verbum illud, quod corde conceptum est, nec graecum est, nec latinum, nec punicum, nec cuiusdam linguae... Quam multas voces faceret personarum mutatione verbum cordis, sine ulla sui mutatione vel varietate? Pergit ad Latinum voce latina, ad Graecum graeca, ad Hebraeum hebraea. Ad audientem pervenit, nec a loquente discedit. Numquid enim quod dicendo in alio facio, ego amitto? Sonus ille adhibitus medius in te aliquid propagavit, a me non emigravit. „

Ex quo facile intelligitur, quid importet *divina locutio*, qua Deus homini loquitur. Duo requiruntur ut cum proprietate dicatur. Alterum *increatum*, et est conceptio divinae sapientiae: alterum *creatum*, quo haec divina conceptio homini manifestetur, *per se* videlicet et *ex vi ipsius actionis divinae* qua producitur, quemadmodum explicavimus. Hinc creatio non est locutio, quia per se ordinatur ad esse, non ad manifestationem divinae mentis: quemadmodum opus artefactum, licet ducat in cognitionem artis sui auctoris, non dicitur tamen eius verbum. Haec autem divina locutio ad homines dupliciter fit, *exterius* et *interius*. " Fides est duplex, ait S. Thomas, scilicet secundum duplicem auditum, et duplicem locutionem. Est enim fides ex auditu, ut dicitur Rom. x. Est enim quaedam locutio exterior, qua Deus nobis per praedicatores loquitur; quaedam interior, qua loquitur nobis per inspirationem internam. Dicitur autem interior inspiratio locutio quaedam ad similitudinem exterioris locutionis: *sicut enim in exteriori locutione proferimus ad ipsum audientem non ipsam rem quam notificare cupimus, sed signum illius rei, scilicet vocem significativam; ita Deus interius inspirando non exhibet essentiam suam ad videndum sed aliquod suae essentiae signum, quod est aliqua spiritualis similitudo suae sapientiae.* Ab utroque auditu fides in corde fidelium oritur. Per auditum interiorem in his, qui fidem primo acceperunt et docuerunt, sicut in Apostolis et Prophetis; unde in Ps. 84. 9. *Audiam*

quid loquatur in me Dominus Deus. Per secundum vero auditum fides oritur in corde aliorum fidelium, qui per alios homines cognitionem fidei accipiunt. „ (Qq. Disp. *Ver.* q. 18. a. 3.)

§ 2. *Propheticus sermo.*

Homines supernaturaliter moti, ut quae divinitus sunt edocti, ad aliorum aedificationem annuntient, *prophetae Domini* in Scripturis nuncupantur. Propheta enim idem est ac legatus ac interpres alterius, ut patet Ex. VII. 1. ubi Deus ait Moysi: *Ecce constitui te Deum Pharaonis; et Aaron frater tuus erit propheta tuus*; h. e. in colloquio cum Pharaone instituendo, tu, utpote sapientior, Dei quasi partes agens verba suggeres fratri tuo, hic vero, utpote expeditioris linguae, prophetae instar a te accepta pronuntiabit. Idcirco in eamdem sententiam dicitur ibid. IV. 16. *Ipse* (Aaron) *loquetur pro te ad populum, et erit os tuum.* Quae omnia congruunt cum illo Petri effato in sua secunda Epistola, I. 21. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Cf. etiam NUM. XII. 6, 8. DEUTER. XVIII. 15 sqq. 2. ESD. IX. 30. IER. XXIII. 16, 21, 31, 32. EZECH. XIII. 2, 3, 6, 7. OSE. IX. 7. LUC. I. 67 sqq. IOAN. XI. 51. HEBR. I. 1. (1) *Sermo* proinde *propheticus* est divina locutio

(1) Allata significatio vocis *prophetae* amplius confirmari potest ex communi sensu Iudaeorum, cuius testis est Philo passim in suis operibus. " Propheta, ait (Tract. *Quis rerum divinarum haeres*), nihil ex se proloquitur, sed aliena omnia, submonente alio. Malum autem virum non est fas esse interpretem Numinis; ergo nemo malus proprie correptus furore divino dicitur, sed in solum sapientem hoc convenit: quandoquidem is solus est Dei vocis organum, ab eo contactum et pulsatum invisibiliter..... Certe enim propheta, cum loqui videtur, revera silet, alius autem eius vocalibus instrumentis, ore linguaque utitur ad indicanda quaecumque vult. „ Similiter alibi (*De Monarch.* lib. 1. in fin.) " Prophetae sunt Dei interpretes, quorum organis utitur ad significanda quaecumque voluerit. „ Item (*De praemiis et poenis*). " Lex nihil est aliud, quam ratio iubens agenda, et vitanda prohibens. Et quoniam utrobique incertum est quid con-

per hominem in persona Dei eiusque afflatu voce vel scripto prolata.

Quoniam locutio est manifestativa mentis, donum prophetiae primo et principaliter perficitur in cognitione. Hinc propheta in Scripturis appellatur etiam *Videns*, iuxta illud 1. Reg. ix. 9. *Qui propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns*: quia videlicet, ut explicat Isidorus (lib. 7. *Etymol.* c. 8.), prophetae " videbant ea quae ceteri non videbant, et prospiciebant quae in mysterio abscondita erant. „ Hac de causa S. Thomas ita describit prophetiam (2. 2ae q. 171. a. 6.): *Prophetia est quaedam cognitio intellectui prophetae impressa ex revelatione divina per modum cuiusdam doctrinae.*

Dicitur 1. *Cognitio.* Est enim in mente prophetae non instar habitus permanentis, sed in modum actus transeuntis: alias oporteret, quod semper prophetae adesset facultas prophetandi, quod ex modo loquendi Scripturarum patet esse falsum. Hinc S. Thomas (3. *Cont. Gent.* 154. fin.) postquam diversos gratiae effectus enumeraverit, subdit. " Quidam eorum (effectuum gratiae) sunt ad totam vitam hominis necessarii, utpote sine quibus salus esse non potest, sicut credere, sperare, diligere et praeceptis Dei obedire; et ad hos effectus necesse est habituales quasdam perfectiones hominibus inesse, ut secundum eas agere possint, cum fuerit tempus. Alii vero effectus sunt necessarii, non per totam vitam, sed certis temporibus et locis, sicut facere miracula, praenuntiare futura, et huiusmodi; et ad hos non dantur habituales perfectiones, sed impressiones quaedam fiunt a Deo, quae cessant actu cessante: et eas oportet iterari, cum actus iterari fuerit opportunum; sicut prophetae in qualibet revelatione novo lumine illustrantur, et in qualibet miraculorum operatione oportet adesse novam efficaciam divinae virtutis .„

---

ducat (accidit enim plerumque per ignorantiam, ut vitanda iubeamus, agenda vetemus) ideo conveniebat tertium adhiberi praemium, prophetiam, ne quid erretur. Nam propheta interpres est Dei dictantis intus oracula: a Deo autem nihil provenit reprehensibile. „

Dicitur 2. *intellectui prophetae impressa ex divina revelatione.* Per quae verba cognitio prophetica distinguitur imprimis a cognitione quae est per naturale lumen rationis. Distinguitur etiam a fide infusa. " Dicendum, ait rursus S. Doctor (Qq. Disp. *Ver.* q. 13. a. 1. ad 4^{um}), quod intellectus alio modo perficitur prophetia et fide. Prophetia enim *perficit intellectum secundum se; unde oportet ut ea, ad quae propheta est perfectus dono prophetiae, possit distincte inspicere.* Sed fides perficit intellectum in ordine ad affectum: actus enim fidei est intellectus imperati a voluntate; unde per fidem intellectus nihil aliud habet nisi ut sit paratus ad assentiendum his quae Deus credi mandat. Et hinc est quod fides assimilatur auditui; sed prophetia visioni .„ Idem brevius repetit (2. 2^{ae} q. 171. a. 3. ad 2^{um}). " Fides, ait, etsi sit de invisibilibus homini, tamen ad ipsam non pertinet eorum cognitio quae creduntur, sed quod homo per certitudinem assentiat his quae sunt ab aliis cognita .„ (1)

Dicitur 3. *per modum cuiusdam doctrinae.* Sensus est, non quod Deus doceat prophetam syllogizando, ut magister docet discipulum ex uno in aliud discurrendo; sed quod doceat ipsum *ei communicando notitiam suam*, sicut magister communicat discipulo notitiam quam habet. Per hoc distinguitur cognitio prophetica ab ea quam expectamus in patria. " Dicendum, quod prophetia est sicut quiddam imperfectum in genere divinae revelationis. Unde

---

(1) Hic habendum est prae oculis quod idem S. Doctor monuit initio c. q. 171. " Est attendendum circa gratias gratis datas... quod quaedam earum pertinent ad cognitionem, quaedam vero ad locutionem, quaedam vero ad operationem. *Omnia vero quae ad cognitionem pertinent, sub prophetia comprehendi possunt.* Nam prophetica revelatio se extendit non solum ad futuros hominum eventus, sed etiam ad res divinas, et quantum ad ea quae proponuntur omnibus credenda, quae pertinent ad *fidem*, et quantum ad altiora mysteria quae sunt perfectorum, quae pertinent ad *sapientiam.* Est etiam prophetica revelatio de his quae pertinent ad spirituales substantias, a quibus vel ad bonum vel ad malum inducimur; quod pertinet ad *discretionem spirituum.* Extendit etiam se ad directionem humanorum actuum; quod pertinet ad *scientiam.* „

dicitur 1. Cor. xiii. quod *prophetiae evacuabuntur*, et quod *ex parte prophetamus*, id est imperfecte. Perfectio autem divinae revelationis erit in patria. Unde subditur: *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.*„ (2. 2ae q. 171. a. 4. ad 2um). Propterea dicuntur prophetae futura *videre in speculo aeternitatis.* Ut enim explicat S. Thomas (*Ver.* q. 12. a. 6.), " ex hoc Deo competit futura certitudinaliter, ut praesentia, cognoscere, quia eius intuitus aeternitate mensuratur, quae est tota simul; unde eius aspectui subiacent omnia tempora, et quae in eis geruntur. In quantum igitur ab isto divino aspectu resultat in mente prophetae futurorum scientia per lumen propheticum, et per species in quibus propheta videt, *ipsae species simul cum lumine prophetico speculum aeternitatis dicuntur, quia divinum intuitum repraesentant, prout in aeternitate futurorum eventus praesentialiter inspicit.* „ Ex quibus haec intelliguntur.

I. Obiectum prophetiae compectitur quidquid est in cognitione divina supra humanam facultatem existens. Ut enim ait S. Thomas (2. 2ae q. 171. a. 3. ad 3um): " formale in cognitione prophetica est lumen divinum, a cuius unitate prophetia habet unitatem speciei; licet sint diversa, quae per divinum lumen prophetice manifestantur. „ Porro per divinum lumen cognosci possunt tam divina quam humana, tam spiritualia quam corporalia. Duo tamen hic animadvertenda sunt cum eodem S. Doctore (*Ver.* q. 12. a. 2.). Primo: Quoniam donum prophetiae datur ad utilitatem Ecclesiae, ut dicitur 1. Cor. xii., ea per lumen propheticum divinitus revelantur, quorum cognitio potest esse utilis ad salutem, sive ad instructionem fidei, sive ad informationem morum: quo spectant etiam multa in scientiis demonstrata, et ea quae in creaturis considerata in admirationem divinae sapientiae et pietatis inducunt. Secundo: Quoniam divinae sapientiae lumen maxime ostenditur in certa praecognitione futurorum contingentium, utpote per se maxime procul a cognitione, ad prophetiam *propriissime* pertinet eorumdem revelatio. Unde Greg. M. (Hom. 1. *in Ezech.*) ait: " Et cum ideo prophetia dicta sit, quod futura praedicat, quando de

praeterito vel praesenti loquitur, rationem sui nominis amittit. „ Hinc Dominus huiusmodi futurorum praecognitionem et praedictionem dedit tamquam certissimum signum ad distinguendos eos qui ex diabolo vel de corde suo loquuntur, ab iis qui in eius nomine loquuntur. Sic enim loquitur Deut. xviii. 21, 22. *Si tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille praedixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit; et idcirco non timebis eum.*

II. Quoniam in cognitione duo inveniuntur, videlicet *acceptio* sive repraesentatio rerum, quae fit per species intentionales, et *iudicium* de rebus repraesentatis, quod fit ex vi intellectualis luminis; per donum prophetiae evehitur humana mens quantum ad utrumque, scilicet et quantum ad iudicium *per influxum luminis intellectualis*, et quantum ad acceptionem seu repraesentationem rerum *per influxum vel coordinationem aliquarum specierum.* " Horum autem duorum, ait S. Thomas (2. 2^{ae} q. 173. a. 2.), principalius est primum in prophetia: quia iudicium est completivum cognitionis. Et ideo si cui fiat divinitus repraesentatio aliquarum rerum per similitudines imaginarias (ut Pharaoni et Nabuchodonosor), aut etiam per similitudines corporales (ut Balthasar), non est talis censendus propheta, nisi illuminetur eius mens ad iudicandum... Erit autem propheta, si solummodo intellectus eius illuminetur ad iudicandum etiam ea quae ab aliis imaginarie visa sunt, ut patet de Ioseph, qui exposuit somnium Pharaonis. „ Quod si amplius quaeratur *modus* quo utrumque fiat, audi iterum S. Thomam l. c. " Repraesentantur autem divinitus menti prophetae quandoque quidem mediante sensu exteriori quaedam formae sensibiles, sicut Daniel vidit scripturam parietis, ut legitur Dan. v. Quandoque autem per formas imaginarias, sive omnino divinitus impressas, non per sensus acceptas (puta si alicui caeco nato imprimerentur in imaginatione colorum similitudines), vel etiam divinitus ordinatas ex his quae a sensibus sunt acceptae, sicut

Hieremias vidit *ollam succensam a facie Aquilonis*, ut habetur Hier. I.: sive etiam imprimendo species intelligibiles ipsi menti, sicut patet de his qui accipiunt scientiam vel sapientiam infusam, sicut Salomon et Apostoli. Lumen autem intelligibile quandoque quidem imprimitur menti humanae divinitus ad diiudicandum ea, quae ab aliis visa sunt, sicut dictum est de Ioseph, et sicut patet de Apostolis, quibus *Dominus aperuit sensum ut intelligerent Scripturas*, ut dicitur Luc. XXIV., et ad hoc pertinet *interpretatio sermonum*: sive etiam ad diiudicandum secundum divinam veritatem ea, quae cursu naturali homo apprehendit: sive etiam ad diiudicandum veraciter et efficaciter ea quae agenda sunt, secundum illud Isai. LXIII. *Spiritus Domini ductor eius fuit.* „• Cf. etiam q. 174. a. 2, 3. coll. q. 173. a. 3.

III. Dupliciter mens a spiritu prophetiae moveri potest, *perfecte* et *imperfecte*. Apposite S. Thomas (2. 2^{ae} q. 173. a. 4.). " Dicendum, quod in revelatione prophetica movetur mens prophetae a Spiritu Santo, sicut instrumentum deficiens respectu principalis agentis. Movetur autem mens prophetae non solum ad aliquid apprehendendum, sed etiam ad aliquid loquendum, vel ad aliquid faciendum; et quandoque quidem ad haec tria simul, quandoque autem ad duo horum, quandoque vero ad unum tantum. Et quodlibet horum contingit esse cum aliquo cognitionis defectu. Nam cum mens prophetae movetur ad aliquid aestimandum, vel apprehendendum, quandoque quidem inducitur ad hoc, quod solum apprehendat rem illam; quandoque autem ulterius ad hoc, quod cognoscat, haec sibi esse divinitus revelata. Similiter etiam quandoque movetur mens prophetae ad aliquid loquendum, ita quod intelligat id quod per haec verba Spiritus Sanctus intendit, sicut David qui dicebat 2. Reg. XXIII. *Spiritus Domini locutus est per me*; quandoque autem ille, cuius mens movetur ad aliqua verba exprimenda, non intelligit quid Spiritus Sanctus per haec verba intendat, sicut patet de Caipha, Ioan. XI. 51. Similiter etiam, cum Spiritus Sanctus movet mentem alicuius ad aliquid faciendum, quandoque quidem intelligit, quid hoc significet;

sicut patet de Hieremia, qui abscondit lumbare in Euphrate, ut habetur Hier. xiii.; quandoque vero non intelligit, sicut milites dividentes vestimenta Christi non intelligebant quid hoc significaret. *Cum ergo aliquis cognoscit se moveri a Spiritu Sancto ad aliquid aestimandum, vel significandum verbo vel facto, hoc proprie ad prophetiam pertinet: cum autem movetur, sed non cognoscit, non est perfecta prophetia, sed quidam instinctus propheticus.* Sciendum tamen, quod quia mens prophetae est instrumentum deficiens, ut dictum est, etiam veri prophetae non omnia cognoscunt, quae in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit. „ Cf. etiam q. 171. a. 5. coll. 3. *Cont. Gent.* initio.

IV. Impossibile est omnino subesse falsum iis quae spiritu prophetico cognoscuntur vel dicuntur. Haec enim procedunt a Spiritu Sancto, sicut a docente, ac proinde tam infallibilia, sunt sicut infallibilis est divina cognitio. Pulcre S. Thomas (2. 2ae q. 171. a. 6.). " Veritas cognitionis est eadem in discipulo et in docente, quia cognitio addiscentis est similitudo cognitionis docentis; sicut etiam in rebus naturalibus forma generati est similitudo quaedam formae generantis. Et per hunc etiam modum Hieronymus dicit, quod *prophetia est quoddam signum divinae praescientiae.* Oportet igitur, eamdem esse veritatem propheticae cognitionis et enuntiationis, quae est cognitionis divinae, cui impossibile est subesse falsum „. Ad difficultatem vero quae solet obiici ex quibusdam comminationibus propheticis, quae videntur effectum non habuisse, optimam habes responsionem ab eodem S. Doctore (ibid. ad 2um).

§ 3. *Spiritus Sancti inspiratio.*

Nomen *inspirationis* significat *quemdam motum ab exteriori*, ut ait S. Thomas (1. 2ae q. 68. a. 1.). In communi vero sermone ecclesiastico adhibetur ad significandum supernaturalem Spiritus Sancti instinctum, quo movemur in iis quae pertinent ad salutem. Sicut igitur

quilibet motus, specificatur a termino *ad quem*. Generatim refertur vel ad cognitionem, vel ad locutionem, vel ad operationem: idque sive in ordine gratiae *gratis datae*, sive in ordine gratiae *gratum facientis*. In praesenti non quamlibet inspirationem consideramus, sed eam dumtaxat qua Spiritus Sanctus *suum verbum inspirat*. Patet hanc referri vel ad cognitionem, vel ad locutionem, vel ad utramque simul. In qua *inspiratione divini verbi* tria sunt distinguenda, eius causa efficiens, eiusdemque terminus et subiectum. *Causa efficiens* est Spiritus Sanctus secundum quod est gratiae auctor. *Terminus* est verbum divinum, ac proinde est de se manifestativus divinae mentis; quapropter homo sic inspiratus est organum *Spiritus Sancti ut loquentis*. *Subiectum* denique est ille cui vel per quem Spiritus Sanctus hac inspiratione loquitur. Ex quibus haec facile intelliguntur.

I. Discrimen duplex intercedit inter inspirationem divini verbi, et simplicem Dei assistentiam ab errore praecaventem. Nam imprimis, ut Deus specialiter alicui assistat ne erret, sufficit ut per suam providentiam removeat extrinsecas causas erroris; ad inspirationem contra requiritur positiva actio divina supernaturalis in mentem aut voluntatem. Praeterea, is qui ex praedicta inspiratione movetur, agit ut organum Spiritus Sancti loquentis, ac proinde terminus huius inspirationis, non solum nihil falsi continet, sed est vere et proprie *verbum Dei*; e contrario is, cui Deus mere assistat ne erret, liber est ab errore, sed non idcirco verbum Dei audit vel loquitur, ut patet in Beatis, qui licet sint ex vi status beatitudinis infallibiles, non tamen singula quae concipiunt vel dicunt sunt Dei locutio.

II. Inspiratio divini verbi potest tripliciter dividi. Primo, ex parte causae efficientis potest esse *immediata* vel *mediata*, prout Spiritus Sanctus per semetipsum alloquatur, vel mediante aliqua creatura, v. c. per Angelum, vel aliam creaturam. Secundo, ex parte termini potest esse vel *ad concipiendum*, vel *ad annuntiandum*; et si hoc postremum contingat, rursus potest esse vel *quoad sensum* dumtaxat, vel etiam quoad *vocalem expressionem*.

Tertio, ex parte subiecti potest esse vel in *intellectum* vel in *voluntatem*. Haec postrema requiritur, quoties aliquis inspiratur ad divinum verbum, non solum in se concipiendum, sed etiam aliis annuntiandum. Qui enim in nomine Domini loquuntur, id non faciunt mente perturbata, sicut arreptitii, sed absque defectu libertatis: ex quo Apostolus agens de prophetica locutione 1. Cor. xiv. 32. ait: *Spiritus prophetarum prophetis subditi sunt.*

III. Inspiratio divini verbi *immediata* dupliciter recipi potest in intellectu. Primum, per simplicem *suggestionem conceptus*: secundo, in modum *propheticae illustrationis*. Differunt, quia in priori modo non requiritur lumen intellectuale divinitus infusum, sed sufficit ut divina operatione excitentur in mente conceptus naturaliter habiti et a Deo assumantur tamquam expressio suae mentis: in posteriori autem modo requiritur infusio supernaturalis luminis, quo vel mysterium aliquod aperiatur intellectui, vel saltem supernaturali certitudine iudicentur quae naturaliter sunt perspecta, prout in superiori explicatione docuimus. Hanc inspirationem ita exponit Gregorius M. (28. *Moral.* in c. 38. v. 1.). " Sciendum est, quia duobus modis locutio divina distinguitur. Aut per semetipsum namque Dominus loquitur, aut per creaturam angelicam eius ad nos verba formantur. Sed cum per semetipsum loquitur, sola nobis vi internae inspirationis aperitur. Cum per semetipsum loquitur, de verbo eius sine verbis ac syllabis cor docetur, quae virtus eius intima quadam sublevatione cognoscitur. Ad quam mens plena suspenditur, vacua gravatur. Pondus enim quoddam est, quod omnem animam, quam replet, levet. Incorporeum lumen est, quod et interiora repleat, et repleta exterius circumscribat. Sine strepitu sermo est, qui et auditum aperit, et habere sonitum nescit. „ Et paulo inferius. " Spiritum Dei quasi quaedam nobis verba dicere est occulta vi ea quae agenda sunt intimare, et cor hominis ignarum, non adhibito strepitu et tarditate sermonis, peritum repente de absconditis reddere. Nam quia auditus ea quae ad se fiunt non simul omnia dicta comprehendit, quippe qui et causas per verba, et particulatim verba per syllabas per-

cipit; visus autem noster in eo quod se dirigit, totum subito et simul apprehendit: Dei locutio ad nos intrinsecus facta videtur potius, quam audiatur, quia dum semetipsum sine mora sermonis insinuat, repentina luce nostrae ignorantiae tenebras illustrat. Unde et Baruch, Neriae filius, cum requisitus exponeret quemadmodum verba Hieremiae prophetantis audisset, ait: *Ex ore suo loquebatur quasi legens, et ego scribebam.* Hier. xxxvi. 18. Qui enim legens loquitur, alio intendit, sed alio verbum facit, quia quod videt dicit. Prophetae ergo Dei, quia eius verba vident potius in corde quam audiunt, quasi legentes loquuntur. „

§ 4. *Scriptura sacra.*

Hoc nomine intelligitur nota illa collectio librorum, quos Christiani omnes tamquam certissimam fidei regulam venerantur, utpote divinitus inspiratos. Appellari etiam solet *Testamentum*, *Instrumentum*, vel simpliciter *Scriptura*; ac plurali numero *Sacrae Litterae*, *Sacrae Scripturae*, *Biblia sacra*, vel simpliciter *Biblia*. Dicitur *Testamentum*, quia Deus in ipsa haereditatem legat hominibus tamquam filiis: *Instrumentum*, tum quia nos instruit, tum quia instrumenta dicuntur, quae in pactis authentice docent, in Scriptura vero maximus est et praestantissimus hic authenticae certitudinis modus. Adhibetur appellatio *sacra*, tum ratione auctoris, tum ratione argumenti: Deum enim auctorem habet, ac de Deo est iisque quae aliqua ratione ad Deum referuntur. Nomen vero *Litterarum*, *Scripturae* vel *Scripturarum*, ac *Bibliorum*, usurpatur ad designandum modum divinae locutionis quo in ipsis edocemur; continent enim *verbum scripto a Deo editum*, secus ac fit in divinis traditionibus. Speciatim vero *Sacrae Litterae* nuncupantur 2. Tim. iii. 15. quia, ut pulchre ait Gregorius M. (Lib. 4. Epist. 31. al. 40. *ad Theodorum Medicum*): *Imperator caeli, Dominus hominum et Angelorum, pro vita tua tibi suas epistolas transmisit, et tu, gloriose fili, easdem epistolas ardenter legere negligis? Quid est autem sacra Scri-*

ptura, nisi quaedam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? Denique simpliciter vocatur *Scriptura*, vel *Scripturae*, seu *Biblia*, quia hae voces, licet cuiusvis generis libros significare possint, tamen factae sunt quasi proprium nomen sacrorum voluminum, propter illorum excellentiam. Diligenter vero hic est notandum, nomen *Scripturae* ideo pluraliter usurpari, quia est proprium, non solum integrae collectioni librorum sacrorum, sed partibus etiam et textibus singulis ad illam collectionem pertinentibus. Sic Marc. xii. 10. dicitur: *Nec Scripturam hanc legistis: Lapidem quem reprobaverunt...* Luc. iv. 21. *Impleta est haec Scriptura*, h. e. locus Isai. lxi. Act. i. 16. *Oportet impleri Scripturam* (gr. τὴν γραφὴν ταύτην), *quam praedixit Spiritus Sanctus*, h. e. Ps. 108, 8. Act. viii. 32, 35. *Locus autem Scripturae, quem legebat erat hic*, h. e. Isai. liii. 7... *et incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Iesum.* Ioan. xix. 36, 37. *Ut Scriptura* (ἡ γραφή) *impleretur: Os non comminuetis ex eo; et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt*, etc.

Canon, gr. κανών, idem significat ac regula eaque in suo genere perfecta quae pro exemplari proponatur. Usu autem a seculo III. et deinceps recepto, ii tantum libri canonici sunt appellati quos tamquam Scripturas sacras seu divinitus inspiratas venerari debemus. Canon itaque Scripturarum, ad rem quod attinet, perinde accipitur atque librorum sacrorum complexio seu catalogus. Duplex distingui solet, Iudaeorum et Christianorum. De priore loquitur Hieronymus in *Prologo Galeato*, quem iuxta communem sententiam Esdras post captivitatem Babylonicam confecit. Olim dividebatur a Iudaeis in *Legem*, *Prophetas*, et *Agiographos* vel *Hymnos*. Alium vero canonem genuinum et integrum exhibet Tridentina Synodus Sess. iv. in Decreto de *Canonicis Scripturis*. Libri in hoc canone contenti dividuntur in *proto-canonicos*, seu primi ordinis, et *deutero-canonicos*, seu secundi ordinis. Illi sunt, de quorum divinitate nullum unquam inter Catholicos fuit dubium, et ideo statim ab initio nascentis Ecclesiae communi orthodoxorum Patrum consensu fuere recepti. Alii sunt illi, de quorum divinitate quondam etiam inter ortho-

doxos dubitabatur. Huc pertinent libri qui absunt a canone Iudaeorum, videlicet *Baruch*, *Tobias*, *Iudith*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, 1us et 2us *Machabaeorum;* item ex N. T. Epistola ad *Hebraeos*, Ep. *Iacobi*, 2a Ep. *Petri*, 2a et 3a Ep. *Ioannis*, Ep. *Iudae*, *Apocalypsis*. Reliqui vero libri sunt protocanonici, *quibusdam partibus dumtaxat exceptis*, quae ad secundum ordinem etiam revocantur: videlicet Estheris septem capita postrema, nempe x. 4. ad xvi; Dan. iii. 24. ad 90 inclusive, nec non historia Susannae xiii, ac distructio draconis xiv; Marc. xvi. 9. ad finem usque; historia sudoris sanguinei, Luc. xxii. 43, 44; historia mulieris adulterae, Ioan. viii. 2... 12 exclusive. Septem sunt itaque libri deutero-canonici V. T., et partes librorum duae, nempe additiones Danielis et Estheris; septem item libri N. T., sex scilicet epistolae, et liber Apocalypsis, et tres librorum partes.

Idioma primigenium quo sacri Scriptores usi sunt in Bibliis conscribendis fere est Hebraicum et Graecum. Ex omnibus autem versionibus illa, quam solemni iudicio (Trid. sess. iv.) Ecclesia *authenticam* declaravit, est *latina vulgata editio*, utpote longo seculorum usu ab eadem Ecclesia iam probata. Constat vero haec vulgata editio ex proto-canonicis V. T. a S. Hieronymo iuxta textum hebraicum, et ex libris Tobiae ac Iudith ab eodem iuxta chaldaicum translatis. Item ex aliis libris et partibus V. T., quales erant in veteri versione *Itala*; nempe Sap., Eccli., Bar., 1. et 2. Machab.; Ep. Ierem., 7. cc. ultima Esther., 2. cc. ultima Dan., Orat. Azariae et Cant. trium puerorum. Tandem ex libris N. T. eiusdem antiquae versionis Italae a S. Hieronymo iuxta codices graecos emendatis. (1) Cf. Cornely (*Introduct. Compendium*. Pars I. Disp. 1. c. 1.).

---

(1) Psalterium, prout erat ante Hieronymum, servatur nunc in Ecclesia Ambrosiana et a Sacello Toletano. Prout vero *primis curis* a Hieronymo fuit emendatum, *Romanum* dictum, usui est Basilicae Vaticanae: ad idem pertinet Ps. 94 in quotidiano nostro matutino, item ex Missa Gradualia et Tractus, Antiphonae ad Introitum, Offertorium, et Communio.

§ 5. *Traditio sacra.*

Nomen *traditionis*, late acceptum, complectitur institutum quodvis a primaevo aliquo fonte profluens, quod sive scripto, sive viva voce, aut praxi ad posteritatem pervenerit. Hoc sensu ait Apostolus, 2. Thess. II. 14: *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Stricte accepta, complectitur dumtaxat notitiam oretenus, h. e. non scripto, primum aliis communicatam. *Primum*, inquam, quia nihil refert, si deinde scripto etiam conservetur. Potest autem sumi, *active* et *obiective*. Si *obiective* sumatur, respicit notitiam quae communicatur: *active* est organum quo communicatur. *Complete* inspecta utrumque dicit, videlicet *notitiam, quatenus non scripto, sed alia via primum est communicata.* Iam in theologia refertur semper ad notitiam *sacram*, h. e. ad religionem pertinentem; unde dicitur *traditio sacra.* Quae quidem multifariam dispescitur.

I. Ratione *originis*, unde promanat. Hoc modo considerata, alia dicitur *divina*, alia vero *ecclesiastica*, prout pro auctore immediato habet Deum, vel potestatem Ecclesiae a Deo concessam. Quoniam Apostoli quandoque agebant ut meri *promulgatores* divinae revelationis, quandoque tamquam Ecclesiae *pastores*, traditio *Apostolica* quandoque est *Apostolico-divina*, quandoque *Apostolico-ecclesiastica*, prout Apostoli in ea se habuerint vel ut promulgatores tantum, vel etiam ut institutores. Exemplum huius traditionis *Apostolico-ecclesiasticae* habes in ieiunio quadragesimali. Traditionem vero Apostolico-divinam ita describit Trid. sess. IV. *Perspiciens* (S. Synodus) *hanc veritatem et disciplinam* (h. e. evangelicam) *contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, vel ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt.*

II. Ratione *materiae* seu notitiae quam continet. Ita inspecta, potest esse *dogmatica* vel *disciplinaris*, prout

continet doctrinam ad fidem vel morum honestatem pertinentem, aut continet institutionem quae externum Ecclesiae seu fidelium regimen respiciat. Item alia dicitur *inhaesiva*, alia *declarativa*, alia *mere oralis*, prout id quod continet vel explicite, vel implicite, vel neque explicite, neque implicite in Scripturis continetur. (1) Tandem quandoque est *obligatoria*, quandoque *libera*, prout necessitatem assensus aut operationis imponit, vel secus. Haec postrema divisio respicit vel aliquid tenendum, vel aliquid faciendum. Quando respicitur ipsa veritas, tunc traditio dicetur obligatoria vel libera, prout veritas quam continet est certa vel probabilis dumtaxat. Est enim natura illicitum veritatem certam denegare. Quando autem sermo est de actione ponenda, traditio erit obligatoria vel libera, prout actio praecipitur, vel consulitur dumtaxat.

III. Ratione *subiecti* cui communicatur. Ita erit *universalis* vel *particularis*, *perpetua* vel *temporalis*, inspecta videlicet eius extensione vel duratione.

IV. Dividitur denique pro diversitate *organi quo communicatur et conservatur*. Praecipua huiusmodi organa sunt, prout inferius patebit, *fides ac sensus fidelium*, praesertim Martyrum in confessione coram tyrannis; *consensus Doctorum*, ac *Patrum Ecclesiae; magisterium authenticum Ecclesiae pastorum* sive in ordinaria eorumdem praedicatione, sive in solemnibus iudiciis de fide vel moribus, quae iidem pastores solent proferre.

---

(1) Sedulo hic animadvertere oportet, aliter omnino accipi has voces a protestantibus ac accipiuntur a catholicis, cum sermo est de traditione quae tamquam verbum Dei suscipi debet. Catholici enim traditionem, quae *inhaesiva* dicitur vel *declarativa*, ex. gr. Christi resurrectionem, vel institutionem Sacramentorum, ita considerant, ut etiam praecisione facta ab iis Scripturae locis, in quibus hae veritates continentur, ipsa plenam auctoritatem verbi divini habeat; unde etiamsi Scriptura nil diceret de huiusmodi veritatibus, nihilominus esset praedicta traditio certissima fidei regula. Protestantes vero qui videntur eam admittere, non considerant ipsam nisi tamquam merum adminiculum ad faciliorem interpretationem Scripturarum, neque aliam auctoritatem in ea venerantur nisi quam habet *qua* et *quia* fideliter refert verbum divinum in Scriptura consignatum.

DE DIVINITATE SCRIPTURARUM

THESIS I.

Libri sub Scripturarum nomine ab Apostolis Ecclesiae concrediti, cum omnibus suis partibus, merito dicuntur sacri, utpote summae ac divinae auctoritatis.

Haec thesis est fundamentale ac pragmaticum dogma christianae Religionis, eiusque negatio non ad haeresim dumtaxat, sed ad paganismum pertinet. Ut autem rite probetur, duo sunt in antecessum diligenter animadvertenda.

I. Duplici via eius veritas ostendi potest. Primum, ex ipsa inspectione librorum, videlicet ex veritate, sanctitate et efficacia doctrinae quam continent, nec non ex scribentium auctoritate, consensione et multitudine. Hanc viam non eligimus, tum quia necdum enumeravimus libros de quibus est sermo, tum maxime quia argumenta indicata neque obvia sunt, neque ostendunt divinitatem *omnium* et *singulorum* librorum eorumque *partium*. Altera via patet per *extrinsecum* aliquod *testimonium*, quod de hac re nos certiores faciat. Hoc vero testimonium divinum esse debet seu divinitus confirmatum; secus mereri non posset assensum *fidei divinae omnino infallibilem*, qualis debet esse ille quo fundamentale hoc dogma creditur. Duplici autem via haberi potest, videlicet vel per *interiorem Spiritus Sancti instinctum* mentem per se edocentem; vel per *exteriorem Dei locutionem* sive *operationem*. Lege S. Thomam (*Quodlib.* 2. a. 6.). Atqui secundum ordinationem communem divinae providentiae *prior modus sine posteriori* non datur, ac praeterea interior mentis instinctus, ut plurimum, per se difficile discernitur unde

sit. Restat igitur exteriori quodam testimonio divino vel divinitus confirmato ostendamus veritatem quam in conclusione asseruimus.

II. In libris sacris, praeter auctoritatem divinam, de qua in praesenti est quaestio, agnosci debet etiam humana auctoritas, quae in ipsis inest, quemadmodum et aliis libris qui conscribi solent. Iam ex *communibus regulis critices* perspicue ostenditur huiusmodi auctoritatem in his libris, Pentateucho praesertim et Evangeliis, esse longe maiorem ea quae in ceteris inveniri solet, ut ut fide dignissimis. (1) Hoc posito, si quando in probatione huius thesis adhibebimus testimonia desumpta ex his libris, ea non consideramus, nisi prout historice sunt digna quae credantur, ut credi solent quae referuntur in libro quoad substantiam authentico. Quapropter testimonia, quae nominatim ex Evangelio et scriptis Apostolorum afferemus, huc spectant dumtaxat, ut videlicet inde historice nobis constet quid Christus et Apostoli fecerint et docuerint. Cum vero dicimus Scripturam esse *summae ac divinae auctoritatis*, haec verba sumenda sunt in obvio eorumdem sensu, praecisione facta a modo *quo tanta auctoritas ipsi inest*; id enim ostendendum est in altera thesi.

Argumentum I. Ducitur ex *fide Iudaeorum et Christianorum*. Quod ut pateat, haec ordinatim teneto.

I. Indubitatum est, veterem Synagogam, praesertim tempore Christi et Apostolorum, tamquam fundamentale dogma religionis credidisse divinitatem librorum, quos in canone Scripturarum recipiebat. Constat hoc tum ex testimonio Iosephi (*Contra Appionem*, lib. 1. n. 8.) (2) ac

---

(1) De hac re ex professo agunt Apologetae ac praesertim Lector Scripturae Sacrae in prima parte suarum praelectionum, videlicet in Introductione in libros veteris et novi Testamenti. Lege Cornely (Compend. cit. Pars. II. et III.).

(2) En integrum hoc testimonium: " Apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo dissidentium et inter se pugnantium; sed duo dumtaxat et viginti libri sunt totius temporis descriptionem continentes, qui merito creduntur divini. Ex his quinque quidem sunt Moysis, qui et leges continent et humanae generationis tradi-

Philonis in usu frequentissimo horum librorum, prout videri potest in eius operibus; tum ex testimonio Christi et Apostolorum, qui hanc Iudaeorum fidem ubique supponunt ut suam divinam missionem ex Scripturis probent, ex. gr. MATH. XXII. 42. IOAN. V. 39. etc.

II. Non minus indubitatum est, quotquot Christianorum nomen non repudiarunt, tamquam primarium suae fidei dogma Scripturae divinam auctoritatem credidisse. Res manifestissima est quoad Ecclesiam Catholicam, tum ex frequentissimo usu testimoniorum Scripturae, quae tamquam divina adhibentur, sive in eius liturgia, sive a Patribus omnibus et Doctoribus; tum ex solemnibus iudiciis quae de hac divinitate saepius pronuntiavit, nominatim in Florentino, Tridentino, ac novissime in Vaticano. Idem consensus elucet in ceteris sectis, quae a gremio Ecclesiae Catholicae fuerunt aut sunt avulsae. Quotquot

---

tionem usque ad ipsius obitum... A Moysis obitu usque ad imperium Artaxerxis regis Persarum post Xerxem *Prophetae*, qui Moysi successerunt, res sua aetate gestas conscripserunt *tredecim libris*; *quatuor* vero reliqui *hymnos* in Deum et praecepta vitae hominum complectuntur. Ab Artaxerxe usque ad nostram memoriam sunt quidem singula litteris mandata, sed non in aequali auctoritate libri habiti sunt cum praecedentibus, quia non accurate perspecta erat successio Prophetarum. Porro reipsa manifestum est, quanta nos veneratione libros nostros prosequamur. Cum enim tot iam secula effluxerint, nemo nec adiicere quidquam, nec ab iis demere aut mutare ausus est. Sed omnibus Iudaeis statim a prima nativitate congenitum est, ut haec scripta credant Dei dogmata, et eis inhaereant ac pro eis, si opus sit, libenter mortem subeant. „ Cum hac librorum distributione congruit, quae in Thalmude, ac penes Massoretas, et nunc adhuc in Bibliis hebraicis observatur in *Legem*, *Prophetas*, et *Hagiographa*; eique simillima est quam adhibet Christus LUC. XXIV. 44, dicens: *Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in Lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.* Porro *libri tredecim*, quos sub *Prophetarum* nomine recenset Iosephus sunt seqq.: 1. Iosue; 2. Iudices et Ruth; 3. Libri Samuelis duo; 4. Libri Regum duo; 5. Libri Paralipomenon duo; 6. Esdras et Nehemias; 7. Esther; 8. Isaias; 9. Ieremias et Lamentationes; 10. Ezechiel; 11. Daniel; 12. Prophetae minores duodecim; 13. Iob. Dicuntur vero libri *Prophetarum*, quia a Prophetis conscripti, sumendo videlicet vocem *Prophetae* in generali illa significatione quam exposuimus supra p. 6. Hieronymus paulo aliter eosdem libros enumerat in suo Prologo Galeato.

enim Christum confessae sunt, etiamsi in multis dissentientes, Scripturae tamen divinam auctoritatem admiserunt, veluti axioma quoddam seu primum principium. Imo inscrutabili Dei iudicio factum est, ut inde praesertim orta sit tanta sectarum multitudo et dissensio, quod unice ad Scripturas appellaverint, sublatis aliis regulis fidei, quas Deus ad Scripturae rectam intelligentiam constituit. Unde Augustinus (Tract. 18. *in Ioan.* n. 1.). *Neque enim natae sunt haereses, et quaedam dogmata perversitatis illaqueantia animas, et in profundum praecipitantia, nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene; et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur.*

III. Posito hoc universali consensu veteris Synagogae et Christianorum, manifeste patet quod in thesi asseruimus. Secus enim alterutrum necessario dicendum foret, videlicet vel religionem Iudaicam usque ad Christi adventum, et Christianam post hunc adventum, non esse divinam, vel religionem divinam posse falli in fundamentali dogmate totius suae oeconomiae. Atqui primum manifeste repugnat innumeris factis divinis, quibus Deus O. M. suo veluti sigillo comprobavit religionem, Mosaicam quidem ante, Christianam vero post Christi adventum: alterum contradicit naturali rationis evidentiae, quae dictat Deum non posse falsum suo suffragio comprobare.

Argumentum II. Colligitur ex praedicatione *Christi et Apostolorum.* Hoc argumentum simili processu exponendum est ac praecedens, tum ostendendo divinam missionem Christi et Apostolorum, tum declarando quae fuerit eorum doctrina in hac parte. Atqui primum constat ex Evangelica demonstratione, praesertim vero per maximum vaticinium simul ac miraculum, quod elucet in Christi a mortuis resurrectione. Quod vero divinam Scripturarum auctoritatem docuerint, sic probatur.

I. Ex ipso universali consensu Christianorum in hac auctoritate admittenda. Id enim manifeste ostendit hanc doctrinam contentam fuisse in praedicatione Christi et Apostolorum; quippe nulla alia rationabilis causa assignari potest tantae consensionis. Apposite Tertullianus (*Praescript.* 28.). *Ecquid verisimile est, tot ac tantae*

(Ecclesiae) *in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est exitus: variasse debuerat error doctrinae Ecclesiarum. Ceterum, quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.*

II. Ex eo quod Christus et Apostoli fidem Iudaeorum in divinitatem Scripturarum non modo minime labefactarunt, sed luculentissime comprobarunt, atque inde praesertim sicut ex irrefragabili principio suam divinam missionem confirmarunt. Sic Christus Matth. v. 17. *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem aut Prophetas; non veni solvere sed adimplere. Amen quippe dico vobis: donec transeat caelum et terra, iota unum, aut unus apex non praeteribit a Lege donec omnia fiant.* Luc. xvi. 29, 31. *Et ait illi* (diviti in inferno sepulto) *Abraham: Habent Moysen et Prophetas, audiant illos.... Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Ioan. v. 34.... *Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed haec dico, ut vos salvi sitis.... Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere: et illae sunt quae testimonium perhibent de me... Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?* Postquam vero ex mortuis resurrexit, ex fide discipulorum in Scripturas iterum comprobat suam missionem. Luc. xxiv. 25... *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae!... Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant... Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Simili modo se gesserunt Apostoli. Sic Petrus Act. iii. 18... *Deus autem quae praenuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit... Moyses quidem dixit* (Deuter. xviii. 15.): *Quoniam Prophetam suscitabit... Et omnes Prophetae a Samuel et deinceps, qui locuti sunt, annunciaverunt dies istos. Vos estis filii Prophetarum, et testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros.* Sic etiam Paulus, Rom. xv. 4.

Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. 2. Tim. III. 16. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad* (1) *docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*

III. Idem denique manifestum est ex usu amplissimo, quo Christus et Apostoli ad Scripturas provocant ubique: passim enim Scripturae testimoniis utuntur, tamquam irrefragabilis omnino auctoritatis, utpote locutionibus vere divinis. Sic Marc. XII. 35, 36. *Et respondens Iesus, dicebat... Ipse enim David dicit* (Ps. 109.) *in Spiritu Sancto: Dixit Dominus Domino meo....* Act. I. 15, 16. *Exurgens Petrus in medio fratrum dixit... Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Iuda... Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea; et episcopatum eius accipiat alter* (Ps. 68, et 108). Act. IV. 24. *Qui* (Apostoli) *cum audissent, levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt: Domine, tu es, qui... Spiritu Sancto per os David pueri tui dixisti* (Ps. 2.): *Quare fremuerunt gentes...* Act. XIII. 34, 35. *Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius non reversurum in corruptionem, ita dixit* (Isai. LV, 3.): *Quia dabo vobis sancta David fidelia. Ideoque et alias dicit* (Ps. 15.): *Non dabit Sanctum tuum videre corruptionem.* Rom. I. 1, 2. *Paulus... segregatus in Evangelium Dei, quod antea promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis.* Rom. IX. 17. *Dicit enim Scriptura* (Ex. IX. 16.) *Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuncietur nomen meum in*

---

(1) Haec verba ita habentur in textu Graeco: Πᾶσῃ γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος... h. e. *Quaelibet Scriptura* (ital. *Ogni Scrittura divinitus inspirata et utilis*, supple *est*. Verba vero Vulgatae fundunt eumdem sensum: sic enim exponi possunt: *Scriptura quaelibet, utpote divinitus inspirata, utilis est....* Dicit autem Apostolus: *Scriptura quaelibet*, quia ut supra notavimus (pag. 16.) nomen *Scripturae* non solum convenit integrae collectioni Librorum Sacrorum, sed etiam *singulis eius partibus.*

universa terra. Gal. iii. 8. *Providens autem Scriptura, quia ex fide iustificat Gentes Deus, praenunciavit Abrahae: Quia benedicentur in te omnes gentes.* Hebr. i. 1 seqq. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis... Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit* (Ps. 96.): *Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit* (Ps. 103.): *Qui facit Angelos suos Spiritus, et ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem* (Ps. 44.): *Thronus tuus, Deus... Et* (Ps. 101.): *Tu in principio, Domine...* Hebr. iv. 4. *Dixit enim in quodam loco de die septima sic* (Gen. ii. 2.): *Et requievit die septima ab omnibus operibus suis.* Haec luculenter ostendunt, quod asserimus. In omnibus enim et singulis testimoniis allatis verba Scripturae adhibentur tamquam divina omnino, ita ut idem sit prorsus quod *Scriptura dicat*, et quod *Deus dicat.* Hinc consuetae illae formulae, *Scriptum est, Scriptura dicit, ut Scriptura impleretur*, quae plusquam centies occurrunt in Evangelio et litteris Apostolicis, tamquam argumentum irrefragabilis ac divinae auctoritatis. Cf. Matth. iv. 4, 7, 10. xxvi. 24, 31, 54. Luc. iv. 21. Ioan. x. 34, 35. xiii. 18. Rom. iv. 3, 17. x. 5... Gal. iii. 16. I. Cor. xv. 3, 4. I. Tim. v. 18. Hebr. vii. 3... Lege Franzelin (*De Scripturis divinis, th.* i. §. iii. n. 2[c]).

Scholion I. Veritas asserta dupliciter a rationalistis oppugnatur. Primo: *speciatim* ex diversis Scripturae locis, ubi aliquid falsi contineri contendunt. Huiusmodi difficultatum solutio petenda est ex propriis theologiae tractatibus, et ex singulorum librorum Scripturae interpretatione. In praesenti sufficiat illud Augustini (*Ep.* 143. al. 7. n. 7.). " Si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit veri similitudine; nam vera esse non potest. Rursus si manifestissimae certaeque rationi velut Scripturarum sanctarum obiicitur auctoritas, non intelligit qui hoc facit, et non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius obiicit veritati, nec quod in eis, sed quod in seipso velut pro eis invenit, opponit. „ Secundo: *generatim* sive labefactando ipsam existentiam aut cognoscibilitatem divinae revelationis, sive infirmando

demonstrationis processum, quo in praecedenti propositione usi sumus. Iam quae existentiam ac cognoscibilitatem divinae revelationis impetunt, soluta habes in *Demonstratione Christiana* seu *Evangelica*. Quod vero proponitur contra vim probationis a nobis adhibitae, est trita illa obiectio de *circulo vitioso*, quem adversarii dicunt in ea committi. Sed si quis bene teneat methodum quam secuti fuimus, nullum vitium circuli in ipsis inveniet. Licet enim usi fuerimus testimoniis desumptis ex ipsis libris, de quorum auctoritate agimus, non tamen *sub eodem respectu* eorum auctoritas supposita est in praemissis, et deducta est in conclusione. Auctoritas enim humana dumtaxat supposita est in his libris, quatenus eorum testimonia adhibita fuere in praemissis; in illatione vero intulimus eorumdem auctoritatem, non humanam, sed divinam. Primum quidem rite supponere licuit ex communibus regulis critices; alterum necessario colligendum erat propter vim signorum, quibus historice constat, Deum suo veluti sigillo comprobasse, tum religionem Mosaicam et Christianam, tum speciatim praedicationem Christi et Apostolorum. Impium enim est de falsitate arguere fundamentale dogma Religionis, quam Deus eiusmodi signis aperte comprobaverit.

Scholion II. Facilior via ac omnibus obvia ad hanc veritatem cognoscendam est *Ecclesiae Catholicae auctoritas*. Etenim ex una parte manifestum est quid ipsa credat et doceat in hoc puncto; aliunde vero eius divina missio facillime dignosci potest. Unde Augustini nota illa sententia (*Cont. Ep. Fundamenti*, c. 5.): *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas*. Sic enim paulo ante praeclare disseruerat. " In Catholica Ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cuius cognitionem pauci spirituales in hac vita perveniunt, ut eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant; ceteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit: ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis; multa sunt alia, quae in eius gremio me iustissime tenent. Tenet consensio

populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem suam Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta nominis Christiani carissima vincula recte hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, etiamsi propter intelligentiae nostrae tarditatem vel vitae meritum veritas nondum se apertissime ostendat. Apud vos (Manichaeos) autem, ubi nihil horum est, quod me invitet ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio: quae quidem si tam manifesta monstratur, ut in dubium venire non possit, praeponenda est omnibus illis rebus, quibus in Catholica teneor: si autem tantummodo promittitur, et non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide, quae animum meum tot et tantis nexibus Christianae Religioni adstringit. „

THESIS II.

Secundum Ecclesiae Catholicae doctrinam Scriptura sacra ideo est divina, quia Spiritu Sancto inspirante conscripta Deum habet auctorem.

In thesi superiori divinam Scripturae auctoritatem asseruimus; nunc quaerimus *qua ratione* tanta ei auctoritas conciliata fuerit.

Dicimus 1. *Secundum Ecclesiae Catholicae doctrinam.* Hanc enim veritatem non ut theologiae praeambulam probare volumus ut quae in priore conclusione demonstrata fuit; sed discursu stricte theologico ex communibus

theologiae fontibus, ac praesertim ex Catholicae Ecclesiae magisterio. (1)

Dicimus 2. *Scriptura sacra*, videlicet collectio librorum, quae sub hac ratione et appellatione relicta est a Christo et ab Apostolis Ecclesiae. Quapropter praescindimus in hac thesi, sicut in superiori, a determinatione librorum singulorum, qui in tali collectione recensentur, h. e. ab eorum *canone*.

Dicimus 3. *ideo est divina, quia....* Quaerimus nempe *titulum* cur Scripturae *insit* auctoritas illa summa et divina, quam in priori thesi asseruimus. Quapropter hic non quaerimus *undenam* haec auctoritas *cognoscatur* a nobis, sed *undenam* reipsa fluxerit.

Dicimus 4. *Spiritu Sancto inspirante conscripta Deum habet auctorem*. Quae verba *complexive* sumenda sunt, ideoque asserimus: *Scripturam divina pollere auctoritate, quia a Deo ita inspirata est ut Deus ipse sit proprius auctor eiusdem*. Libri Scripturarum proinde sunt *libri Dei*, sensu proprio huius vocabuli, per hominem sicut rationale Dei instrumentum et quasi calamum conscripti.

Argumentum I. Sumitur *ex praedicatione Christi et Apostolorum*. Huc faciunt illa ipsa testimonia quae ex Evangelio et scriptis Apostolicis attulimus in thesi praecedenti. Inde enim manifestum est Scripturam sacram esse in vero et proprio sensu *Scripturam ipsius Dei*, ac proinde Deum esse *proprium eius auctorem*, hominem vero *Dei dictantis instrumentum*. Id ostendunt testimonia quae dicta Scripturarum exhibent ut *ipsius Dei oracula*: id etiam ostenditur ex eo quod in testimoniis allatis pro uno eodem-

---

(1) Licet in huius thesis probatione hoc magisterium supponere. Ut enim illud probetur, non requiritur praecedens demonstratio *inspirationis librorum sacrorum*, quam in hac thesi volumus ostendere. Efficaciter enim et plenissime probatur: *a*) Ex signis credibilitatis, quibus Deus Catholicae Ecclesiae religionem comprobavit ut ex tract. *De Religione* suppono: *b*) Ex Evangelio et Scriptis Apostolicis, quatenus *historice* referunt Ecclesiae institutionem factam a Christo: *c*) Ex testimoniis Scripturarum, non praecise quatenus sunt *divinitus inspirata*, nec etiam quatenus humana dumtaxat auctoritate pollent, sed prout eorumdem auctoritas probata est in thesi superiore.

que habeatur quod *Scriptura dicat* et quod *Deus dicat*. Accedit etiam, quod Christus et Apostoli plene confirmaverint in hac parte fidem Iudaeorum: constat autem tum ex testimoniis Iosephi et Philonis, tum ex perpetua Iudaeorum traditione, eos Scripturas habuisse tamquam libros *prophetarum*, h. e. prophetico Spiritu conscriptos, prout propheta dicitur qui non de corde suo, sed in persona Domini loquitur.

Speciatim vero id constat ex Apostoli testimonio 2. Tim. III. 14... *Tu* (Timothee) *vero permane in iis quae didicisti et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris: et quia ab infantia Sacras Litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Quod testimonium ut plenius intelligatur, haec observa.

I. Verba illa *Omnis Scriptura* non debent sumi modo indefinito et abstracto seu conditionali, perinde ac sensus sit, *quidquid* vel *si quid est divinitus inspiratum*, sed referri debent sensu determinato ad *Bibliorum volumen integrum*. Ratio est, tum quia absoluta *Scripturae* denominatio significabat collectionem librorum sacrorum *determinatam* omnibus notissimam, eaque erat *nomen excellentiae*, quo exsors et par auctoritas omnibus illis libris et librorum textibus tribuebatur: tum quia haec Apostoli verba explicant dignitatem librorum, quos paulo ante *Sacras Litteras* nominavit, et in quibus Timotheus versatus erat ab infantia; quae quidem *Sacrae Litterae* nequeunt significare nisi Bibliorum volumen quod Timotheus prae manibus habebat. Neque obstat, quod, cum haec scriberet Apostolus, Bibliorum canon non adhuc esset conclusus, quippe tunc temporis nondum exarata erant scripta Ioannis, nec fortasse etiam 2. Petr. ac Iacobi et Iudae epistolae. Nam, ut ante notavi, Scripturae appellatio est *nomen excellentiae*, quo exprimitur propria auctoritas collectionis librorum quibus talis appellatio tribuebatur. Unde qualis est auctoritas unius partis huius collectionis, talis est auctoritas ceterarum. Quapropter quod hic affirmat Apostolus de libris, quos *sub*

nomine ac dignitate Scripturae tunc temporis Timotheus legebat, affirmare etiam oportet de ceteris libris postea exaratis, quos *sub eodem nomine ac dignitate Scripturae* dein Apostoli Ecclesiae reliquerunt. Quinam vero isti sint, suo loco discutiendum. In praesenti hoc unum sufficit ostendere, nempe *cuiusmodi sit haec Scripturae auctoritas* secundum Apostoli doctrinam.

II. Apostolus hic *Scripturam* considerat *sub formali ratione Scripturae*, *prout* videlicet *scripto consignatam habet doctrinam quam continet*, vel, quod in idem recidit, *prout scripto loquitur*. Id enim manifestum est ex illis verbis: *utilis est ad docendum*, *ad arguendum*, *ad corripiendum*, *ad erudiendum in iustitia*; sive, prout exponit S. Thomas in h. l., ad docendam veritatem, ad arguendam falsitatem, ad corripiendum a peccato, et ad erudiendum in virtutibus. Atqui hos omnes et singulos effectus Scriptura non habet, nisi prout *scripto instruit.*

III. De hac Scriptura affirmat Apostolus esse *divinitus inspiratam quoad omnes sui partes.* Etenim terminus ille *divinitus inspirata* (θεόπνευστος), sive sumatur tamquam *praedicatum*, ut in Graecis codicibus et antiquis editionibus Vulgatae ante Clementinam; sive sumatur tamquam *adiectum* subiecto huius proprietatem declarans, ut habetur in Clementina Vulgatae editione: hoc semper significat ut proprietas iam implicite comprehensa in ipso nomine *Scriptura*, sive per praedicatum sive per adiectivum, explicite affirmetur de eadem Scriptura, *esse* scilicet *divinitus inspiratam.* Haec vero inspiratio tribuitur ab Apostolo *singulis Scripturae partibus.* Id enim significat illud *Omnis Scriptura.* Nam τὸ *omnis* vel *sumitur distributive*, prout indicat phrasis graeca πᾶση γραφὴ sine articulo; vel sumitur *collective* pro tota collectione Bibliorum. In prima significatione *inspiratio affirmatur immediate de singulis Scripturis*, seu textibus Bibliorum; in altera significatione *inspiratio affirmatur immediate de tota collectione Scripturarum*, ac proinde de singulis etiam partibus in hac collectione comprehensis.

IV. Ex quibus omnibus manifestum fit quod asserimus. Si enim *tota Scriptura*, *qua talis*, *est divinitus inspi-*

rata, eius proprius conditor et auctor est Deus. Quae enim sunt ex divina inspiratione, principalem causam habent ipsum Deum qui inspirat, non hominem qui inspiratur: homo enim in huiusmodi se habet tamquam organum divinae operationis, quae operatio in praesenti est ipsa *Scriptura* seu *locutio scripto edita*. Id clarissime exponitur 2. Pet. 1. 20, 21, ubi Apostolus Petrus sic dicit de Scripturis V. T. *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est* (ἠνέχθη) *aliquando prophetia* (1), *sed Spiritu Sancto inspirati* (ὑπὸ Πνεύματος Ἁγίου φερόμενοι) *locuti sunt sancti Dei homines.*

Argumentum II. Est ex *iudicio Ecclesiae Catholicae*, ut manifeste apparet ex solemnibus eius definitionibus aut professionibus fidei in hac parte. Primo

---

(1) Hoc loco Petrus confirmat Evangelii mysteria ex Scripturis V. T. easque vocat *propheticum sermonem seu prophetiam Scripturae*, non quia omnes et singulae sint de rebus futuris contingentibus, sed quia sunt scripta prophetarum, seu *prophetico spiritu* conscripta. Notio enim *prophetae* apud Iudaeos non sola vaticinia stricte talia respicit, ut supra ostendimus. Accedit quod doctrina Evangelica confirmetur ex omnibus libris V. T. etiam historicis et moralibus, ut patet ex usu constanti Christi et Apostolorum. Unde verba Petri, *propheticus sermo*, *prophetia Scripturae*, coarctanda non sunt ad *prophetiam de futuris contingentibus*, sed comprehendunt cetera etiam scripta V. T. Vocat autem Apostolus *firmiorem sermonem* Scripturam V. T. prae oraculo ipsius aeterni Patris in Transfiguratione Domini audito, non *quoad se, sed quoad nos*. Apposite Augustinus (Serm. 44. c. 4. al. serm. 27. *de Verbis Apostoli*): " Certiorem sane dixit, non meliorem, non veriorem. Tam enim verus ille sermo de caelo, quam sermo propheticus; tam bonus, tam utilis. Quid est ergo *certiorem*, nisi in quo magis confirmetur auditor? Quare hoc? Quia sunt homines infideles qui sic detrahunt Christo, ut dicant eum magicis artibus fecisse quae fecit. Possent ergo infideles etiam istam vocem delatam de caelo per coniecturas humanas et illicitas curiositates ad magicas artes referre. Sed prophetae antea fuerunt; non dico, ante istam vocem, sed ante Christi carnem. Nondum erat homo Christus, quando misit prophetas. Quisquis dicit, eum magum fuisse: si ergo magicis artibus fecit ut coleretur et mortuus, numquid magus erat antequam natus? Ecce quare ait Apostolus Petrus, *Habemus certiorem propheticum sermonem*. Vox de caelo qua fideles admoneantur: propheticus sermo qua infideles convincantur. „

itaque occurrit Decretum Gelasii Papae *de Libris canonicis*. In huius Decreti prologo haec habentur. " Ad discutiendas vel intelligendas Scripturas, quas in Novo vel Veteri Testamento a pluribus editas (novimus), illud apostolicum nobis convenit servare eloquium: *Prophetias*, inquit, *nolite spernere, omnia autem probate*. 1. Thess. v. 20, 21.; ut plenius *Dei operatione credamus illas esse conditas*. „ Synodus Carthaginensis IV., praescribens professionem fidei Episcopis ordinandis, quae adhuc servatur in Episcoporum consecratione, inter cetera habet. " Credis etiam Novi et Veteris Testamenti, Legis, Prophetarum et Apostolorum *unum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem*? Resp. Credo. „ Haec eadem verba habentur in professione fidei Michaëlis Palaeologi in Lugdunensi II. Gregorio X. oblata. Concilium vero Florentinum, in Decreto pro Iacobitis ita habet. " Firmissime credit, profitetur et praedicat S. R. Eccl. unum verum Deum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, esse omnium visibilium et invisibilium creatorem... Unum atque eumdem *Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est Legis et Prophetarum atque Evangelii, profitetur auctorem, quoniam, eodem Spiritu Sancto inspirante, utriusque Testamenti Sancti locuti sunt: quorum libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur* (subnectitur integer canon). „ Concilium Tridentinum eamdem Florentini professionem fidei secutum (Cf. Pallavicini, *Hist.* lib. 6. c. 2.), sic ait sess. IV. " Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus... *omnes libros tum Veteris tum Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor... suscipit et veneratur...* Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro *sacris et canonicis* non susceperit; anathema sit. „ Novissime denique Vatic. Const. *Dei Filius*, c. 2. sic definit. " Eos vero (V. et N. T. libros cum omnibus suis partibus) Ecclesia pro *sacris et canonicis habet... propterea quod, Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales Ecclesiae traditi sunt*. „ Dein vero can. 4. " Si quis Sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina

Synodus recensuit pro *sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit*; anathema sit. „

Corollarium. **Scriptura sacra non solum nihil falsi continet, sed est vere et proprie verbum Dei.** Sequitur aperte ex propositis. Ostensum enim est, Deo adiudicandos esse Sacrae Scripturae libros, quatenus *Spiritu Sancto dictante fuere conscripti.* Sic enim Scriptura Sacra divinae inspirationi tribuitur, tum a Christo et ab Apostolis, tum ab Ecclesiae magisterio. Atqui verbum, quod alio dictante scripto excipitur, est vere et proprie verbum illius qui dictat, potius quam amanuensis qui scribit: evidens est etiam a Deo falsitatem aliquam dictari nullatenus posse. Ergo Scriptura Sacra tum est ab omni errore libera, tum est vere ac proprie verbum Dei.

THESIS III.

Doctrinam in superiori conclusione traditam unanimis Patrum consensus plenissime confirmat et perspicue declarat.

Ut veritas propositae conclusionis melius et efficacius ostendatur, subiicimus testimonia Patrum *integra*, tum propter rei gravitatem, tum quia iis testimoniis quavis alia declaratione seposita solum inspectis, melius patebit, quo pacto Scripturarum inspiratio ad Ecclesiae mentem sit concipienda.

Clemens Romanus (Ep. 1. *ad Cor.* n. 45). " Scripturas diligenter inspicite, *vera Spiritus Sancti eloquia*: in illis nihil iniustum, nec fictum aut simulatum contineri discite. „

Iustinus M. (*Cohort. ad Graec.* n. 8.) loquens de Scriptoribus Sacris. " Sine ullo, ait, contentionis et partium studio scientiam a Deo acceperunt, eamque nos docuerunt. Neque enim natura aut humani ingenii acie res tam magnae et divinae cognosci ab hominibus possunt; sed eo quod tum in sanctos homines descendebat dono, quibus quidem nec

verborum artificio opus fuit, nec pugnaciter quidem et rixandi studio dicere, sed puros seipsos Spiritus Sancti operationi praebere, ut *divinum illud delapsum de caelo plectrum, velut quodam citharae aut lyrae instrumento, ita iustis hominibus utens* divinarum nobis et caelestium rerum cognitionem recluderet. Propterea ergo vel ore uno et lingua una, tum de Deo et mundi origine, tum de hominis creatione et animae humanae immortalitate ac futuro post hanc vitam iudicio, tum de omnibus rebus, quarum nobis necessaria cognitio est, summa et secum ipsis constantia et inter se consensione nos docuerunt; idque cum variis locis et temporibus divinam nobis doctrinam traderent. „

Item (*Dial. cum Triphone*, n. 65.). " Si ob eam causam, quod te existimaveris disputationem in eas angustias coniicere posse, ut Scripturas inter se dicerem pugnare, errasti. Id enim numquam audebo nec cogitare, nec dicere: sed si qua proponatur Scriptura, quae eiusmodi esse videatur, et praetextum, quasi esset alteri contraria, praebeat, cum persuasum habeam nullam Scripturam alteri contrariam esse, fatebor potius, me non intelligere quae dicuntur, et iis, qui Scripturas inter se pugnare suspicantur, ut idem potius sentiant persuadere conabor. „

Irenaeus (Lib. 2. c. 28. al. 47. n. 2.). " Si autem omnium,quae in Scripturis requiruntur, absolutiones non possumus invenire... Cedere autem haec talia debemus Deo, qui et nos fecit, rectissime scientes, quia *Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae*, nos autem...„

Clemens Alexandrinus (*Strom.* 2. c. 2.) " Qui divinis ergo Scripturis firmo iudicio credit, demonstrationem, cui contradici nequit, *Dei scilicet qui Scripturas nobis dedit vocem accipit.* „

Athenagoras (*Legat. pro Christianis*, n. 9.) postquam ratione probaverit Dei unicitatem, haec subdit. " Si eiusmodi tantum rationibus uteremur, doctrina nostra nonnullis humana videretur. Sed quia Prophetarum vocibus argumenta nostra confirmantur (non enim vobis, qui litteratissimi et doctissimi estis, ignota esse puto Moysis scripta, aut Isaiae, aut Ieremiae et aliorum Prophetarum, *qui mente et animo*

extra se rapti, impellente Spiritu Sancto, quae ipsis inspirabantur ea sunt locuti, utente illis Spiritu Sancto, veluti si tibiam inflet tibicen), quid igitur illi?... „

Tertullianus (*Adversus Hermogenem*, c. 22.) ita ostendit dogma creationis, ex eo quod 1. Gen. nulla mentio fiat materiae ex qua Deus mundum creaverit. " Spiritus Sanctus hanc *Scripturae suae* rationem constituit, ut cum quid ex aliquo sit, et unde sit referat. *Fruticet*, inquit, *terra herbam foeni*... Si tantam curam instructionis nostrae insumpsit Spiritus Sanctus, ut sciremus, quid unde processerit, nonne proinde nos et de caelo et de terra compotes reddidisset, significando unde ea esset operatus, si de aliqua materia origo constaret illorum?... Igitur: *In principio Deus fecit caelum et terram. Adoro Scripturae plenitudinem*, qua mihi et factorem manifestat et facta. In Evangelio amplius et ministrum atque arbitrum rectoris (al. factoris) invenio Sermonem. An autem de subiacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat vae illud adiicientibus aut detrahentibus destinatum Apoc. xxii. 18, 19. „

Origenes (*De Principiis*, lib. 1. init.) inter ea, *quae Ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque in praesens in Ecclesiis permanens, manifeste docet*, hunc recenset articulum. " Hic Deus iustus et bonus, Pater Domini nostri Iesu Christi, Legem et Prophetas et Evangelia *ipse dedit*, qui et Apostolorum Deus est et Veteris et Novi Testamenti. „ Et deinceps " Sane quod iste Spiritus (Sanctus) unumquemque sanctorum vel Prophetarum vel Apostolorum *inspiraverit*, et non alius Spiritus in veteribus, alius vero in his qui in adventu Christi inspirati sunt, fuerit, *manifestissime in Ecclesiis praedicatur*. „ Et paulo inferius. " Est praeterea et illud in ecclesiastica praedicatione, quod mundus iste factus sit... tum demum quod *per Spiritum Dei Scripturae conscriptae sint*, et sensum habeant non eum solum qui in manifesto est, sed et alium quemdam latentem quamplurimos. „

Item (*Contra Celsum*, lib. 5. n. 60.). " Ceterum, si nos accurate respondere oportet ad Celsum opinantem, eam-

dem nostram esse ac Iudaeorum sententiam, dicimus, *in confesso esse apud utrosque libros divino Spiritu fuisse scriptos*, de illorum autem librorum interpretatione nos cum Iudaeis dissentire. „

Athanasius (*Ep. ad Marcellinum*, n. 2.). " *Omnis* nostra, o fili, Scriptura, *cum vetus tum nova, divinitus inspirata* utilisque ad doctrinam est, ut scriptum habetur. „

Basilius (*Hom. in Ps.* 1.) sic exorditur. " *Omnis Scriptura est divinitus inspirata, atque utilis, ideo a Spiritu Sancto conscripta*, ut veluti in communi animarum curandarum officina nos omnes quotquot sumus homines, ad nostrum morbum sanandum medelam seligere possimus... At quidquid in ceteris utile est, hic unus Psalmorum liber complectitur. „

Gregorius Nazianzenus (*Orat.* 2. de fuga sua, n. 105.). " Nos, qui perfectam veracitatem Spiritus etiam usque ad levem apicem et lineam extendimus, *non concedimus, neque enim fas est, vel res minimas a Scriptoribus temere esse positas.* „

Gregorius Nyssenus (*Contra Eunom.* lib. 7. init.). " Divinitus inspirata Scriptura, sicut ipsam divinus Apostolus nominat, *Sancti Spiritus est Scriptura.* Huius autem voluntas et intentio hominum est utilitas. *Omnis*, inquit, *Scriptura divinitus inspirata et utilis*: varia autem et multiplex utilitas, sicut ait idem Apostolus, ad doctrinam, ad redargutionem, ad reprehensionem, ad correptionem, ad disciplinam sive institutionem quae est in iustitia... Sic nos... ab Apostolo instituti..., edocti ab eo qui in paradiso arcana ineffabilia didicit, *quod quaecumque sacra Scriptura dicit, Spiritus Sancti sint voces sive effata. Praeclare certe Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam prophetam prophetans patribus nostris.* Act. xxviii. 25. Hoc ad Iudaeos, qui Romae erant, cum dixit, Isaiae voces infert. Et ad Hebraeos cum praeposuisset Spiritum, in quibus ait; *Quapropter sicut dicit Spiritus*, Hebr. iii. 7., ille sanctus subiicit psalmi verba ex persona Dei fuse et late dicta. Et ab ipso Domino idem didicimus, quod David non in se manens, id est, non secundum humanam naturam personans caelestia annuntiabat mysteria. Quomodo enim quis homo

existens caeleste colloquium Patris cum Filio novisset? Sed Spiritu afflatus dixit, etiam Dominum Domino loqui quae dixit. *Si enim David in Spiritu*, inquit, *vocat eum Dominum, quomodo Filius eius est*? Matth. xxii. 45. Ergo numine afflati sancti vates virtute Spiritus Sancti inspirantur: *et ideo omnis Scriptura inspirata dicitur, quia sit divinae inspirationis doctrina.* Si corporeum involucrum circumauferatur, reliquum Dominus est, vita, et spiritus, iuxta magnum Paulum et Evangelii vocem. „

Ambrosius (Ep. 8. *ad Iustum*). " Negant plerique nostros (sacros scriptores) secundum artem scripsisse. Nec nos obnitimur: non enim secundum artem scripserunt, sed secundum gratiam, quae super omnem artem est; *scripserunt enim quae Spiritus eis loqui dabat.* „

Chrysostomus (Hom. 2. *in Gen.* n. 2.). " Deus humani generis Conditor, ab initio per seipsum hominibus loquebatur, eo quo homines poterant audire modo. Sic enim ad Adam venit; sic Cain increpavit; sic cum Noë locutus est; sic apud Abraham hospitatus est. At ubi in malitiam magnam omne hominum genus prorupit, neque tunc se se totum ab hominum genere avertit Opifex omnium: sed quia sua familiaritate postea indigni facti fuerunt, iterum suam erga illos amicitiam innovare volens, quasi longe absentibus *litteras mittit conciliaturus sibi universam hominum naturam. Et has quidem litteras dedit Deus, attulit autem Moses*... Idcirco his incipit verbis: *In principio fecit Deus caelum et terram*; quasi ad omnes nos clara voce clamet et dicat: Num ab hominibus doceor, ut haec loquar? is ipse, qui haec cum non essent fecit ut essent, *linguam meam ad isthaec enarranda impulit.* Igitur, obsecro, ita auscultemus, ita nostris ratiociniis longum vale dicamus, quasi haec non iam a Mose, sed per linguam Mosis ab ipso universorum Deo audiamus: *Ratiocinia* enim *hominum timida sunt*, inquit, *et incertae cogitationes eorum. Sap.* ix. 14. „

Gemina tradit inferius (Hom. 21. *in Gen.* c. 5. n. 1.) " Vos omnes, obsecro, ne simpliciter ea quae in Scripturis Sacris contenta sunt, transeatis. Nihil enim hic scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias; quando-

quidem *divino Spiritu afflati prophetae locuti sunt, ideo utpote a Spiritu scriptae ingentem in se continent thesaurum.* Et ne mireris, quod in hac nominum enumeratione multas latentesque divitias sententiarum vobis ostensurum pollicear. Neque enim vel syllaba vel apiculus est in Sacris Litteris, in cuius profundo non sit grandis quispiam thesaurus. Proinde par est, nos divina gratia ductos, et Spiritu Sancto illustratos *divina eloquia audire.* „ Et postquam egregia similitudine id explicaverit, subdit. " Attende, obsecro, Prophetae huius (Mosis) admirabilis sapientiam: imo Sancti Spiritus doctrinam. *Ab illo enim, ut saepe dictum est, afflatus nobis haec omnia loquitur: et linguam quidem Propheta commodavit, gratia autem Spiritus Sancti per illam omnia humanum genus manifeste docet.* „

Hieronymus (Lib. 9. *in Isai.* c. 29.) sic exponit caecitatem Iudaeorum in intelligentia Scripturarum. " Eritque, ait (Propheta), vobis (Iudaeis) omnis Scriptura sancta clausa atque signata, ut vos qui Legis litteras, et Prophetarum vaticinia nosse vos existimatis, et diebus ac noctibus volumina Scripturarum indefesso ore meditamini, non intelligatis quod legitis, sicut in Apocalypsi Ioannis scribitur: *Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula eius?* Apoc. v. 2. Cumque nullus fuisset inventus, qui aperiret signacula, flesse se dicit, et Dei tandem ad se meruisse sermonem: *Noli flere; ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David, ut aperiat librum et solvat signacula eius.* Leo autem de tribu Iuda Dominus Iesus Christus est, qui solvit signacula libri, non proprie unius, ut multi putant, psalmorum David, sed *omnium Scripturarum, quae uno Scripturae sunt Spiritu Sancto, et propterea unus liber appellantur.* De quo Ezechiel c. 2. mystico sermone testatur, quod scriptus fuerit intus et foris; in sensu et in littera. De quo et Salvator loquitur in Psalmis: *In capitulo libri scriptum est de me.* Ps. 39, 9.; non Ieremiae, non Isaiae, sed in omni Scriptura sancta, quae unus liber appellatur. Magistris igitur Iudaeorum... „

Item (Lib. 2. *in Michaeam*, c. 7.) sic tropologice commentatur illud, quod Propheta dicit: *Consurgit nurus adversus socrum suam.* " Qui legerit Canticum Canticorum,

et sponsum animae Dei sermonem intellexerit..., non dubitabit dicere, sermonem Dei ortum esse de Spiritu, et animam, quae sponsa sermonis est, habere socrum Sanctum Spiritum, qui apud Hebraeos genere dicitur foeminino. Haeretici ergo, cum ante crediderint in Scripturis, *quae a Spiritu Sancto conscriptae sunt et editae*, transferunt se ad novas doctrinas et fermentum Pharisaeorum et mandata hominum; dumque *sermonem Dei* contemnunt, socrui suae faciunt iniuriam. „

Item (*Ep. ad Marcellam*, 27. al. 120.) respondens iis, qui sibi obtrectabant, quod quaedam ex Evangelio iam recepta mutasset, ait. " Ne nos superbiae, ut facere solent, arguant, ita responsum habeant. Non adeo me hebetis fuisse cordis, et tam crassae rusticitatis (quam illi solam pro sanctitate habent, piscatorum se discipulos asserentes, quasi idcirco sancti sint, si nihil scierint), ut aliquid de Dominicis verbis *aut corrigendum putaverim*, *aut non divinitus inspiratum*, sed latinorum codicum vitiositatem, quae ex diversitate librorum omnium comprobatur, ad graecam originem, unde et ipsi translata non denegant, voluisse revocare. „

Augustinus multa eaque egregia habet in rem nostram: pauca tantum exscribemus. Sic itaque imprimis loquitur (Ep. 28. al. 8. *ad Hieronymum*). " Mihi videtur exitiosissime credi, aliquod in Libris Sanctis haberi mendacium; id est, eos homines, per quos nobis illa Scriptura ministrata est atque conscripta, aliquid in libris suis fuisse mentitos. Alia quippe quaestio est, sit ne aliquando mentiri viri boni; et alia quaestio est, utrum scriptorem sanctarum Scripturarum mentiri oportuerit, imo non alia, sed nulla est quaestio. *Admisso enim semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio*, *nulla illorum librorum particula remanebit*, *quae non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis*, *eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur*. „

Similia habet (Ep. 82. al. 19. *ad eumdem Hieronymum*, c. 3.). " Ego, ait..., solis eis Scripturarum libris qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honorem-

que deferre, ut *nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam.* Ac si aliquid in eis offendero Litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliud existimo: prorsus, inquam, non te arbitror, sic legi tuos libros velle, tamquam Prophetarum vel Apostolorum, *de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est.* „ Et paulo inferius. " Iam vero sanctam Scripturam, *in summo et caelestis auctoritatis culmine collocatam*, de veritate eius certus et securus legam, et in ea homines vel approbatos, vel emendatos, vel damnatos veraciter discam, potiusquam facta humana, dum in quibusdam laudabilis excellentiae personis aliquando credere timeo reprehendenda, *ipsa divina eloquia mihi sint ubique suspecta.* „

Item alibi (*De consensu Evangelistarum*, lib. 1. c. 35.) sic loquitur. " Qui Prophetas ante descensionem suam praemisit, ipse et Apostolos post Ascensionem suam misit. Omnibus autem discipulis suis per hominem, quem assumpsit, tamquam membris sui corporis caput est. Itaque cum illi scripserunt quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit: *quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit.* Hoc unitatis consortium, et in divinis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, quam si *ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit.* „

Item (*Enarr.* in Ps. 144. n. 17.) sic eleganter disserit. " *Fidelis Dominus in verbis suis.* Quid enim promisit, et

non dedit? *Fidelis Dominus in verbis suis.* Adhuc quaedam promisit et non dedit. *Fidelis Dominus in verbis suis.* Possemus illi credere tantummodo dicenti, sed voluit teneri *Scripturam suam*: quomodo si diceres alicui, cum aliquid promitteres: Non mihi credis, ecce scribo tibi. Etenim quia generatio vadit et generatio venit, et sic transcurrunt ista secula cedentibus succedentibusque mortalibus; *Scriptura Dei manere debuit, et quoddam chirographum Dei*, quod omnes transeuntes legerent et viam promissionis eius tenerent. Et quanta sunt, quae reddidit *ex isto chirographo*?... „

Item (11. *Civ.* 2, 3.) " Sola est adversus omnes errores via munitissima, ut idem ipse sit Deus et Homo: quo itur, Deus; qua itur, Homo. Hic prius per Prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos, quantum esse iudicavit, locutus, *Scripturam condidit, quae canonica nuncupatur, eminentissimae auctoritatis*, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nosmetipsos nosse idonei sumus. „ Ac inferius (lib. 18. c. 41.). "Auctores nostri, in quibus non frustra sacrarum Litterarum figitur et terminatur canon, absit ut inter se aliqua ratione dissentiant. Unde non immerito, cum illa scriberent, *eis Deum vel per eos locutum*, non pauci in scholis atque gymnasiis litigiosis disputationibus garruli, sed in agris atque in urbibus cum doctis atque indoctis tot tantique populi crediderunt. Ipsi sane pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret quod religione carum esse oporteret: nec tamen ita pauci, ut eorum non sit miranda consensio. „

Theodoretus (*Praefatio in Psalmos*). " Sciendum est, prophetiae proprium esse non solum futura praedicere, verum etiam et praesentia et praeterita narrare: quandoquidem divinus Moyses, quaecumque a prima origine a Deo universorum condita sunt, et ex eius voluntate existunt, manifestissime nobis aperuit, *non ab hominibus hanc doctrinam, sed a gratia Spiritus Sancti edoctus.* Praedixit etiam praesentia, sicut Pharaoni castigationes inflictas, et Israeli exhibitionem mannae, carniumque participationem. Vaticinatus est etiam futura, Domini Christi adven-

tum, Iudaeorum dispersionem, et gentium salutem. Sic etiam divinus David, qui primus post hanc prophetiam conscripsit, et beneficiorum a Deo universorum horum collatorum meminit, et longis post seculis futura praemonstrat. Non solum autem verbis utitur hominis vaticinantis, sed etiam monitoris et legislatoris: et modo moralem doctrinam affert, modo dogmaticam: et Iudaeorum interdum calamitates deplorat, interdum gentium salutem praecinit. Passim vero Domini Christi tum passionem, tum resurrectionem vaticinatur, et praedictionis varietate iis, qui attendere volunt, plurimum affert voluptatis. Psalmos autem non omnes ipsius Davidis quidam esse dixerunt, sed quosdam aliorum. Unde et inscriptiones sic interpretati, alios Idithumo adscripserunt, alios Aethamo, nonnullos filiis Core, et alios Asapho, quos etiam Prophetas fuisse ex historia Paralipomenon didicerant. Ego autem de his sane nihil affirmo. *Quid enim mea refert, sive huius omnes, sive illorum aliqui sint, cum constet divini Spiritus afflatu universos esse conscriptos?* Etenim non ignoramus et divinum Davidem prophetam fuisse, et illos itidem prophetas in Paralipomenon historia nuncupari. *Prophetae autem est, linguam praebere ministram gratiae Sancti Spiritus*, ut legitur in Psalmis: *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis.* „

Gregorius M., praeter praeclarum illud testimonium, quod in introd. exscripsimus (pag. 14.), ita loquitur (*Praef.* in Lib. *Mor.*). " Inter multos saepe quaeritur, quis libri beati Iob scriptor habeatur. Et alii quidem Moysen, alii unum quemlibet ex Prophetis scriptorem huius Operis fuisse suspicantur... Sed quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, *cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui et in illius Opere inspirator exstitit, et per scribentis vocem imitanda ad nos eius facta transmisit.* Si magni cuiusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, sed quo calamo fuissent scripta quaereremus, ridiculum profecto esset epistolarum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare. Cum ergo rem cognoscimus,

eiusque rei Spiritum Sanctum auctorem tenemus, quia scriptorem quaerimus, *quid aliud agimus, nisi legentes litteras, de calamo percontamur?* Arbitrari tamen verius possumus, quod idem beatus Iob, qui certamina spiritalis pugnae sustinuit, etiam consummatae suae victoriae gesta narravit. Nec movere debet, quod in eodem libro dicitur: *Dixit Iob*, vel, *Haec atque illa pertulit Iob.* Moris enim Scripturae sacrae est, ut ipsi qui scribunt sic de se in illa quasi de aliis loquantur. Hinc est enim quod Moyses... *Scriptores igitur sacri eloquii, quia impulsu Sancti Spiritus agitantur*, sic de se in illo testimonium tamquam de aliis proferunt. Ergo *Sanctus Spiritus per Moysen locutus est de Moyse, Sanctus Spiritus per Ioannem locutus est de Ioanne....* „

Isidorus Hispalensis (*Prol. in Libros V. et N. Testamenti*), postquam integrum canonem Scripturarum recensuisset, ita concludit n. 14, 15, 16. " Haec sunt enim nova et vetera, quae de thesauro Domini proferuntur, e quibus cuncta sacramentorum mysteria revelantur. Hi sunt duo Seraphim, qui in confessione SS. Trinitatis iugiter decantantes τρισάγιος hymnum erumpunt. Hae etiam duae olivae in Zacharia, quae a dextris et a sinistris lampadis adstant, *atque pinguedine atque splendore Spiritus Sancti totum orbem doctrinae claritate illuminant.* Hae Litterae sacrae, hi libri *integri numero et auctoritate; aliud cum istis nihil est comparandum.* Quidquid extra hos fuerit, inter haec *sancta et divina* nullatenus est recipiendum. „

Damascenus (4. *Fidei Orthod.* c. 17.). " Unus atque idem Deus est, quem tum Vetus tum Novum Testamentum praedicant, quique in Trinitate laudatur et celebratur, cum Dominus dixerit: *Non veni solvere legem sed adimplere.* Matth. v. 17. Ipse enim salutem nostram operatus est, *propter quam omnis Scriptura et mysterium omne revelata sunt.* Ac rursus: *Scrutamini Scripturas; ipsae enim testimonium perhibent de me.* Ioan. v. 39. itemque dicente Apostolo: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus nostris locutus est nobis in Filio.* Hebr. i. 1. Quocirca per Spiritum Sanctum et Lex et Prophetae et

Evangelistae, et Apostoli, et Pastores, et Doctores locuti sunt. *Omnis igitur Scriptura divinitus inspirata est ac prorsus utilis*, 2. Tim. iii. 16. Quapropter optimum est, summeque animarum saluti conducibile, divinas Scripturas scrutari. Velut enim lignum plantatum secus decursus aquarum, sic et anima divinis Scripturis irrigata saginatur, fructumque maturum, hoc est, rectam fidem profert, ac perpetuo virentibus foliis, id est, Deo acceptis actionibus, exornatur... Quamobrem si discendi studiosi fuerimus, multam nobis eruditionem comparabimus: diligentia siquidem, et labore, largientisque Dei beneficio, quidvis conficitur. Nam *qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit; et pulsanti aperietur*, Luc. xi. 10. Pulsemus igitur ad pulcherrimum illud pomarium Scripturarum, illud, inquam, mire fragans, suave, elegantissimum, quod spiritualium divinarumque avium omnigenis garritibus aures nostras circumsonet, cor nostrum tangat, ac tum moerore confectum demulceat, tum ira percitum obleniat aeterna illud laetitia implens.... Ceterum haud negligenter pulsandum nobis est, sed alacri constantique animo, ne pulsando tandem fatigemur. Sic enim demum nobis aperietur. Si semel atque iterum legerimus, nec quae a nobis lecta erunt intelligamus, ne animis concidamus; sed persistamus, meditemur, et interrogemus. Ait enim: *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi; maiores tuos et dicent tibi.* Deuter. xxxii. 7. *Non* enim *omnium est scientia.* 1. Cor. viii. 7. Ex huius horti fonte perennes ac purissimos latices salientes in vitam aeternam hauriamus. Hic in inexplebili quadam voluptate ac oblectatione versemur. Eiusmodi enim est Scripturarum gratia, ut exhauriri nequeat. „

Corollaria. Ex catholica doctrina quam proxime tradidimus plura consequuntur eaque gravissima.

I. Principium, quod vocant *accommodationis*, a rationalistis invectum, est prorsus omnino impium. In hoc enim consistit, quod Apostoli, et Christus ipse, se populi praeiudiciis, ingenio, et erroribus accommodaverint ex prudente quadam oeconomia. Qua de causa tradiderint erroneas prophetiarum interpretationes, quae vigebant in plebe, et miracula finxerint ad populum in meliorem fru-

gem adducendum. Atqui manifesta est impietas summa huius asserti, tum quia Deum ipsum reddit falsitatis reum, tum quia revelationem totam radicitus extirpat. Accedit quod historice falsum sit omnino, ita Christum et Apostolos Iudaeorum erroribus sese accommodasse, ut ex Evangelica narratione liquet.

II. Libri Scripturarum non ideo sunt *sacri* et *canonici*, quod sola humana industria concinnati, Ecclesiae deinde auctoritate fuerint approbati; nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant. Ita Vaticanum, Const. *Dei Filius*, c. 2. Neutrum enim sufficit ut *Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habeant auctorem.*

III. Inspiratio Scripturarum est positiva ac supernaturalis actio, qua mens Scriptoris excitata est ut divinae mentis sensa scripto exciperet. Id enim requiritur ut Scriptura sit *Scriptura Dei*, seu ab *ipso Spiritu Sancto dictata.* Cf. quae diximus in Introductione, § 3. Quod si quaeratur, ad quam e gratiis gratis datis, enumeratis ab Apostolo 1. Cor. xii., hoc charisma revocetur, respondeo, illud pertinere partim ad *donum prophetiae*, partim ad *gratiam sermonis*, qua quis, ut explicat S. Thomas (2. 2ae q. 177. a. 1.), *efficaciter loquitur ad instruendum intellectum*, *movendum affectum*, *flectendum auditorem.* Ratio prioris partis est, quia Sacer Scriptor, qua talis, non in persona propria scribit, sed sicut organum ac veluti calamus Spiritus Sancti: quod quidem pertinet ad donum propheticum. Hinc Scriptura 2. Pet. i. 19. vocatur *propheticus sermo*, ut loco proxime citato exposuimus. Ratio vero alterius est, quia ad hoc ut Sacer Scriptor non aliud scripto consignet, nisi quae Deo dictante acceperit, requiritur ut Deus ei assistat in eligendis signis seu verbis, quae divinae mentis sensa sincere et infallibiliter exprimant. Atqui hoc spectat ad *gratiam sermonis*, prout eam nuper declaravimus.

IV. Non solum eae Librorum sacrorum partes, quae mysteria proprie dicta, aut praecepta morum continent, sed etiam partes historicae sunt divinitus inspiratae. Catholica enim fide Libri Scripturarum, tamquam *sacri* et *canonici* suscipiendi sunt *cum omnibus suis partibus.* Trid.

sess. IV. ac Vatic. Const. *Dei Filius*, c. 2. can. 4. Atqui, ex eiusdem Conc. Vaticani declaratione, Const. cit. c. 2. Ecclesia hos libros pro *sacris* et *canonicis* habet, *propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem*. Accedit quod etiam eae Librorum sacrorum partes, quae historicae dicuntur, maxime conferunt ad fidei instructionem et morum informationem, iuxta illud Apostoli elogium 2. Tim. III. 16, 17. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus;* item Rom. XV. 4. *Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus.* Ad oppositum errorem pertinet id quod docuit Erasmus, iuxta quem assistentia divinitus concessa Sacris Scriptoribus eo solum redit, ut *graviores* dumtaxat errores praecaverent. Sed facile apparet, huiusmodi distinctionem inter errores *graves* et *leves* inepte omnino adhiberi in re praesenti. Ut enim arguebat Augustinus in testimoniis supra citatis, si semel admiserimus *in tantum auctoritatis fastigium*, divinarum videlicet Scripturarum, errori locum esse potuisse, *ipsa divina eloquia nobis erunt ubique suspecta*: atque non levis profecto, sed gravissimus reputari debet error christianae fidei adeo perniciosus. Et sane, ratio cur tum a Christo et ab Apostolis, tum a Patribus et Doctoribus semper appellatum fuerit ad testimonia Scripturae, ut prorsus omnino irrefragabilia et divina, continetur consuetis illis formulis, *Scriptum est*, *Scriptura dicit*, aliisque consimilibus. Haec vero ratio eadem est omnino pro omnibus et singulis Scripturae textibus. Unde Apostolus de *omni Scriptura* affirmat quod sit *divinitus inspirata* ac proinde *utilis*: et Christus Dominus de Scriptura Veteris Legis, quae tamen erat teste Apostolo 2. Cor. III. 7, *ministratio mortis*, affirmavit Luc. XVI. 17. *Facilius est autem caelum et terram praeterire, quam de Lege unum apicem cadere*; ac Ioan. X. 35. *Non potest solvi Scriptura.* Licet vero theologi dissentiant in explicatione quorumdam quae spectant ad rationem inspirationis Librorum sacrorum, sine controversia tamen in hoc con-

veniunt sicut in primum quoddam principium, quod Scriptura habenda sit tamquam *infallibilis regula fidei*. Hinc Doctor Angelicus (*Quodl.* XII. a. 26.). *Hoc tenendum est, quod quidquid in Sacra Scriptura continetur, verum est: alias qui contra hoc sentiret, esset haereticus.* Confer etiam Melchiorem Canum (*De Locis Theologicis*, lib. 2. c. 16, 17, 18.) ubi exprofesso hunc errorem refellit, et inter alia sic optime ait. " Si in huius rei confirmationem arcanarum Litterarum nos testimonia referre velimus, verendum sane est, ne qui oppositum errorem tueri cupiunt, illa se ratione tueantur, quod auctor Scripturae sacrae eo etiam loco, qui a nobis affertur, non de Spiritu divino, sed de suo fuerit locutus. Ita fieret ut vix ullum e Sacris Litteris testimonium adversum haereticos firmum esset. Quamobrem hos quidem ab hoc sermone removeamus, qui erronea sententia omnem Scripturae et vim minuunt et elevant auctoritatem. Ipsi vero fateamur, singula quaeque sive magna, seu parva a Sacris auctoribus, Spiritu Sancto dictante, esse edita. Id a Patribus accepimus, id fidelium animis inditum et quasi insculptum est; id itaque et nos, et Ecclesia praesertim ipsa magistra et duce retinere debemus. „ (1)

V. Sedulo est distinguenda *sententia ipsa* Scripturae

(1) Cum hisce ultimis temporibus nonnulli scriptores inconsultissima temeritate errorem Erasmi recoquere tentaverint, Leo XIII f. r. in sua Encyclica *Providentissimus Deus* his verbis hunc errorem profligavit. " *Nefas omnino fuerit aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem.* Non enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus se se expediunt, id nimirum dare non dubitantes inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum, quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tanquam sacros et canonicos recepit, cum omnibus suis partibus Spiritu Sancto dictante conscripti sunt. Tantum vero abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae, solemni etiam sententia in Conciliis definita Floren-

a *factis* vel *dictis* quae *referuntur* in Scriptura Prior semper et ubique censenda est ipsius Spiritus Sancti sententia, siquidem eo dictante conscripta fuit, et ideo est ab omni mendacio ac falsitate alienissima. Quod attinet vero ad facta vel dicta, quae in Scriptura referuntur, distinguendum est. Si enim a Scriptura approbentur, ac multo magis si referantur tamquam a Spiritu Sancto inspirante dicta vel facta, iam divina pollent auctoritate. Idem dicas, si reprobentur: huiusmodi enim reprobatio est ipsius Spiritus Sancti reprobatio, ac proinde verissima. Si contra referantur dumtaxat, tunc utique credendum est ea facta vel dicta fuisse prout narrantur, sed utrum bene facta aut veraciter dicta fuerint, pendet ex sanctitate aut veracitate illius, qui illa fecerit vel dixerit.

VI. Divina Scripturarum inspiratio non excludit humanam industriam et eruditionem sacri Scriptoris. Ratio est duplex praesertim. Prima sumitur ex generali principio, quod operatio causae primae amico foedere sociatur cum operatione causae secundae, etiam in actibus maxime supernaturalibus et liberis; quod quidem apparet in operationibus supernaturalibus virtutum et donorum. Altera sumitur ex suavitate divinae providentiae, ad quam pertinet ut libri Scripturarum, praeter auctoritatem divinam, maximam etiam habeant auctoritatem, etiamsi humanitus considerantur; sic enim adhibentur, in demonstratione Evangelica et Catholica. Hagiographi ipsi quandoque testantur, se rerum, quas scribunt, notitiam non sine labore hausisse ex aliorum libris 2. Machab. ii. 24, 27.; vel ex aliorum relatione, Luc. i. 3.; vel ex propria experientia, Ioan. xix. 35.

---

tino et Tridentino, confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano... *Consequitur, ut, qui in locis authenticis librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem* „. Nota Editoris.

Hactenus exposuimus, quae secundum doctrinam catholicam tenenda sunt circa dogma de inspiratione Librorum Sacrorum. Modo breviter subiiciemus quaedam de quibus adhuc inter Catholicos controvertitur. Quocirca

Quaer I. **Num Sacri Scriptores semper specialiter inspirati fuerint in singulis vocabulis?**

Respondeo, huiusmodi verbalem inspirationem non esse necessariam ut Scriptura Sacra vere et proprie sit divinitus inspirata. Nam Scriptura vere et proprie concipitur *esse verbum divinum*, sublata hac inspiratione; siquidem verba consecrationis vere *dicta sunt* a Christo, ut Evangelistae testantur, licet iidem Evangelistae *non eodem modo haec verba referant.* Matth. xxvi. 27. coll. Luc. xxii. 19, 20. Ceterum tenendum est omnino, huiusmodi verba ac verborum stilum a Sacris Scriptoribus fuisse adhibita, ut nihil inde falsi rite colligi possit. Probabilissimum est etiam, ipsa verba in individuo aliquando inspirari, praesertim in doctrinis sublimioribus et mysteriis tradendis.

Quaer II. **Num Sacri Scriptores supernaturali lumine iudicaverint singula, quae scripserunt?**

Respondeo. Quaestio nec est nec esse potest, si hoc ita intelligatur, quatenus per huiusmodi illustrationem *cognoverint veritatem quam ante non cognoscebant.* Multa enim scripto consignarunt quae vel propria experientia vel ex aliorum relatione cognoverant. Ceterum, quoniam nihil vetat, quominus eadem veritas sub duplici lumine menti innotescat, propterea sensus propositae quaestionis hic est, num videlicet mens Sacri Scriptoris ex infuso lumine confortata fuerit ad diiudicanda singula, quae scripto consignavit, etiamsi antea naturaliter fuerint ei nota. Quaestioni ita respondent auctores gravissimi.

Cornelius a Lapide (2. Tim. iii. 16.) post explicata verba Apostoli, subdit. " Nota. Hinc Sacra Scriptura dicitur verbum Dei et Spiritus Sancti: Prophetae vero et alii scriptores Hagiographi vocantur calami et instrumenta Spiritus Sancti, quasi scribae velociter scribentis, inspirantis, et dictantis sacras Litteras. Nota secundo: Spiritum Sanctum non eodem modo dictasse omnes Sacras Litteras. Nam Legem et Prophetias ad verbum revelavit

et dictavit Moysi et Prophetis: historias vero et morales exhortationes, quas antea vel visu, vel auditu, vel lectione, vel meditatione didicerant ipsi scriptores Hagiographi, non fuit necesse inspirari aut dictari a Spiritu Sancto; utpote cum eas scirent et callerent ipsi Scriptores. Sic S. Ioannes, XIX. 35., dicit se scribere quae vidit: S. Lucas vero I. 2., dicit se scribere Evangelium, quod audivit et traditione accepit ab Apostolis. Dicitur tamen Spiritus Sanctus ea quoque illis dictasse: *primo*, quia scribentibus adstitit, ne vel in puncto a veritate aberrarent: *secundo*, quia eos excitavit et suggessit, ut haec potius scriberent quam illa; conceptum ergo et memoriam eorum, quae sciebant, non eis ingessit Spiritus Sanctus, sed inspiravit ut hunc potius conceptum quam illum scriberent: *tertio*, quia omnes eorum conceptus et sententias ordinavit, digessit, et direxit Spiritus Sanctus, v. g. ut hanc sententiam primo, illam secundo, aliam tertio loco, et ita consequenter collocarent et scripto consignarent; hoc enim proprie est librum aliquem concinnare et conscribere, et hac ratione proprie sacrorum librorum auctor dicitur esse Spiritus Sanctus. „

Bellarminus (*De Verbo Dei*, lib. 1. c. 15.) respondens ad obiectionem, quae sumitur ex 2. Machab. ult. ubi sacer Scriptor veniam petit quod minus bene scripserit, sic dicit. " Respondeo, Deum quidem esse auctorem omnium divinarum Scripturarum, sed aliter tamen adesse solitum prophetis, aliter aliis praesertim historicis. Nam prophetis revelabat futura et simul assistebat ne aliquid falsi admiscerent in scribendo, et ideo prophetae non alium habuerunt laborem, quam scribendi vel dictandi: aliis autem scriptoribus Deus non semper revelabat ea, quae scripturi erant, sed excitabat ut scriberent ea quae viderant, vel audierant, quorum recordabantur, et simul assistebat, ne falsi aliquid scriberent; quae assistentia non faciebat, ne laborarent in cogitando et quaerendo quid et quomodo scripturi essent... Quod attinet vero ad veniam, non petit veniam iste auctor (2. *Machab.*) erratorum, quippe qui nulla esse sciebat; sed orationis minus politae, quemadmodum etiam B. Paulus se imperitum sermone confitetur 2. COR. XI. „

S. Thomas (2. 2ae q. 174. a. 2. ad 3um) assignans discrimen inter Scriptores Sacros, qui secundum distinctionem Hebraeorum commemoratam a Hieronymo in Prologo Galeato dicuntur *Prophetae*, et eos qui iuxta eamdem distinctionem dicuntur *Hagiographi*, haec habet. " Magis proprie dicuntur prophetae, qui vident per imaginariam visionem; quamvis illa prophetia sit nobilior, quae est per intellectualem visionem; dummodo tamen eadem veritas sit ubique revelata. *Si vero lumen intellectuale alicui divinitus infundatur, non ad cognoscendum aliqua supernaturalia, sed ad iudicandum secundum certitudinem veritatis divinae ea, quae humana ratione cognosci possunt*, sic talis prophetia intellectualis est infra illam, quae est cum imaginaria visione ducente in supernaturalem veritatem: cuiusmodi (h. e. *quae est cum imaginaria visione ducente in supernaturalem veritatem*) habuerunt omnes illi, qui numerantur in ordine prophetarum; qui etiam ex hoc specialiter dicuntur prophetae, quia prophetico officio fungebantur; unde ex persona Domini loquebantur dicentes ad populum: *Haec dicit Dominus*: quod non faciebant illi, qui Hagiographa conscripserunt, *quorum plures loquebantur frequentius de his, quae humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei* (i. e. non sicut prophetae stricte dicti attestantes expresse: *Haec dicit Dominus*), *sed ex persona propria cum adiutorio tamen divini luminis.* „ Brevius id ipsum exponit (*De Ver.* q. 12. a. 12. ad 10um). " Ideo specialiter prophetae nuncupantur in distinctione praedicta, qui secundum imaginarias visiones prophetiam habuerunt, quia in eis invenitur plenior ratio prophetiae, etiam ratione differentiae. *Hagiographi autem dicuntur qui supernaturaliter solum visiones intellectuales habuerunt, sive quantum ad iudicium tantum, sive quantum ad iudicium et acceptionem simul.* „ (Cf. 2. 2ae q. 173. a. 2. q. 174. a. 3.)

Quaer. III. **Num Deus veritates singulas in Libris sanctis expressas specialiter inspiraverit?** (1)

---

(1) Minime permiscenda est, ut saepe fit, haec quaestio cum praecedenti, ut patet ex iis quae monuimus in Introductione § 6.

Respondeo. Bonfrerius Lessium secutus id negat (*Proleg. in Sacram Scripturam*, c. 8.). Hic Auctor exponens modum quo inspirati fuerunt sacri Scriptores in dictis aliorum factisque referendis, quae vel visu cognoverant vel auditu ab hominibus fide dignis acceperant, duo exigit dumtaxat. Alterum, ut Spiritus Sanctus Hagiographum direxerit, ut in nullo eum errare fallive permitteret, ad eum ferme modum, quo quis alterum oculo scribentem dirigeret, ne in re quapiam erraret. Alterum vero, ut licet non habeatur in hoc modo antecedens divina inspiratio, *qua* SINGULA *demonstrentur et inspirentur*, *non desit tamen Scriptori initio inspiratio quaedam* GENERALIS *scribendi talem historiam*, et identidem inter scribendum inspirentur eidem *pulchrae gnomae* aut quid simile ad vitam moresque bene componendos. Concedit tamen hic Auctor ac tamquam principium inconcussum supponit *illud omne quod volumine Biblico continetur et ab Ecclesia habendum pro Scriptura Sacra proponitur*, *esse verbum Dei scriptum* distinctum a *verbo Dei tradito*, et quod Scripturae sacrae libri ita Scriptorum Hagiographorum sint, ut *ipsi tantummodo instrumenta sint et organa*, *quorum ministerio Spiritus Sanctus usus est ad sua consilia et sensa hominibus manifestanda*, *primariusque eorum auctor sit idem Spiritus Sanctus*. Eatenus proinde hunc inspirationis modum admittit, quia putat illum sufficere ut Scriptura sacra sit *verbum Dei*, *eiusque auctor*, *non homo*, *sed Spiritus Sanctus*. Confer quae praemiserat in c. 1 et 2. Eamdem sententiam plures alii docuerunt inter Catholicos. Quidam eam limitant ad quaedam dumtaxat familiaria, ac nullius, prout videntur, momenti, ut est illud de Tobiae cane cauda blandiente, TOB. XI. 9, de Pauli penula, 2. TIM. IV. 13., hospitium quod is Philemonem parari iubet, PHILEM, 22., item salutationes quae in eiusdem epistolis occurrunt. Qui in huiusmodi *specialem* inspirationem Spiritus Sancti negaret " non hunc equidem, ait Patrizi (*Comm. de Scripturis divinis*, §. VI.), damnare, sed neque negare ipse illud ausim. Neque enim deest, cur illa quoque θεόπνευστα esse credantur. Etenim qui Scripturas ita legit, ut Deum harum auctorem esse recordetur, menteque ad hunc adsurgat, facile in eo, quod

de Tobiae catulo narratur, iudicium deprehendit providentiae, qua Deus vel irrationalia ipsa hominis, cuius gratia ea creavit, commodis inservire iubet. Quoad Pauli penulam, documentum inde habes, ut corporis quoque ac terrenorum bonorum cura minime sit negligenda. Philemonis hospitium exemplo est hospitalitatis, illius praesertim quae priscos inter Christianos obtinebat. Salutationes vero epistolis additae eo spectabant, ut salutati ab Apostolo animos ad grandiora ac generosiora praestanda sumerent, utque horum utpote tale merentium memoria sacris litteris consignata superstitaret. „

Quaer IV. **Num liber aliquis humana industria conscriptus evadat Scriptura Sacra, si postea omnia in eo contenta Spiritus Sancti testimonio approbentur ut vera?**

Respondeo. Sic docuere, post Lessium, Bonfrerius (Op. cit. cap. 8. sect. 7.) ac Platellius (*Synopsis*, parte 3. c. 1. §. 4. n. 91.), non quidem de libris, quos nunc habemus in canone Scripturarum, sed *hypothetice dumtaxat* rem considerando. Ceterum negandum videtur. Nam libri *Scripturae Sacrae*, prout hoc nomen ab Ecclesia intelligitur, non dicuntur *divini* utcumque, sed sensu determinato, videlicet *ob divinam eorumdem originem*, et hac ratione dicuntur *Spiritu Sancto inspirante conscripti*, *a Deo conscripti*, *conditi*, *editi*, *dictati*. Atqui testimonium divinum *consequens* id minime praestare potest, licet optime efficere possit ut *doctrina* in libro humana industria exarato habeatur ut infallibiliter vera et divinitus confirmata.

Quaer. V. **Num Sacri Scriptores conscii fuerint de propria inspiratione?**

De hac quaestione ita Suarez. " Advertendum est... licet in Scriptura omnia scripta sint Spiritu divino; nihilominus eumdem Spiritum relinquere Scriptorem, ut modo sibi accommodato, et secundum suum ingenium, eruditionem, et linguam singula scribat; et ita permittit, ut aliqua familiari et humano modo scribat, quamvis sub directione sua... Inde vero oriebatur curiosa quaestio, an Scriptor canonicus certo cognoscat, se canonice scribere, et gubernatum esse a Spiritu Sancto. Quam non invenio

in terminis disputatam ab auctoribus, licet de prophetia soleat alia similis tractari: et quamvis aliqua ratio differentiae possit assignari, *securius videtur idem in praesenti affirmare*, quod de prophetia certum est, nimirum Prophetam verum et proprium cognoscere quae praedicit; ita enim significat David in locis supra citatis est autem eadem ratio de reliquis Scriptoribus. „ (*De Fide*, D. 5. sect. 3. n. 15.)

THESIS IV.

Genuinus canon Scripturarum ille est quem promulgavit Tridentina Synodus, sess. IV.

Ut in th. I. monuimus, opus est *divino* aliquo *testimonio* ad comprobandam veritatem quam modo statuimus. Quod quidem testimonium, sistendo in quaestione *de iure*, potuerunt Apostoli vel *scripto* consignare vel sola *traditione* (1): utrovis enim modo adimpletum fuisset praeceptum Christi: *Euntes docete...* Matth. ult. Inferius autem demonstrabimus, reipsa id minime contigisse primo modo, *scripto* videlicet. Quod attinet ad alium modum, duplici rursus via divinum testimonium nobis innotescere potest in re de qua agimus, vel ex *authentico iudicio* legitimae auctoritatis, vel *historica certitudine*: utraque enim via legitima est, licet prior securior sit et omnibus accommodata. Iam si haec posterior via adhibeatur, tota controversia est de libris deuterocanonicis: quoad alios enim nullum rationabile dubium moveri potest, cum pro eorumdem canonicitate valeat manifestissimus atque unanimis consensus omnium Ecclesiarum, cui accedit consensus totius gentis Iudaicae quoad V. T. Hinc *istorum librorum* non solum historica veracitas, sed etiam *divina au-*

(1) Ut facilius intelligatur hic posterior modus lege Reithmayr (*Introd. au Nouveau Test.*, trad. par Valroger, 1. part., sect. 1. § IV.), item Augustinum (*Praed. SS.*, n. 27; item *Ep.* 64).

ctoritas, imo et *inspiratio*, legitime supponi potest contra haereticos et incredulos ad hanc thesim demonstrandam, facta etiam abstractione ab *authentico iudicio* Ecclesiae Catholicae. Nam *certitudine historica* constat, ut diximus, libros protocanonicos ut Scripturam habitos fuisse a Christo et Apostolis; Sacram vero Scripturam divina pollere auctoritate, eamdemque divinitus esse inspiratam constat ex iis quae probavimus in thesi I et II. Unde nullus circulus vitiosus in hac suppositione committitur.

Probatio dogmatica. Facilis est ac manifesta. Ecclesia enim Catholica est divinitus instituta ut genus humanum sine errore edoceat, divinam revelationem ei proponendo. Constat hoc tum ex manifestis signis credibilitatis quae in ipsa elucent, tum quia huiusmodi institutionem perspicue docent oracula prophetica, evangelica et apostolica in libris protocanonicis consignata. Atqui ad hoc Ecclesiae Catholicae munus imprimis pertinet, ut falli nequeat in authentico iudicio de canone librorum sacrorum: nam secus perinde esset ac proponere, tamquam divinum, verbum humanum. Cum itaque huiusmodi iudicium tulerit tum practice per universalem usum tot seculorum, tum solemnibus definitionibus in pluribus oecumenicis conciliis editis; eoque iudicio tamquam divinam Scripturam promulgaverit libros omnes, qui in canone Tridentini sess. IV. recensentur: consequens est, nullum errorem in eo esse timendum, atque adeo hunc canonem esse omnino genuinum. Apposite Augustinus (Lib. 1. *Contra Crescon.* c. 23.). *Scripturarum a nobis tenetur veritas, cum id facimus quod universae placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas: ut quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate quaestionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.* Itemque (*Enarr.* 2. in Ps. 30. serm. 2. n. 8.). *Obscurius dixerunt Prophetae de Christo, quam de Ecclesia: puto propterea quia videbant in Spiritu, contra Ecclesiam homines facturos esse particulas, et de Christo non tantam litem habituros, de Ecclesia magnas contentiones excitaturos. Ideo illud, unde maiores lites futurae erant, planius prae-*

dictum et apertius praedicatum est, ut ad iudicium illis valeat, qui viderunt et foras fugerunt.

Probatio historica. Ducitur ex indisrupta traditione et communi consensu Ecclesiarum. Speciatim vero huc facit

Traditio Ecclesiae Romanae, quam prae ceteris attendendam esse monet Iraeneus (lib. 3. c. 3.). Et re quidem vera:

I. Indubitatum est, canonem Tridentinum eumdem plane esse, quem a seculo V. et deinceps Romana Ecclesia fideliter custodivit. Hunc enim tradidit Innocentius I. in celebri Epistola, qua anno 405 respondit ad quaesita Exsuperii Tolosani. (1) Eumdem canonem confirmavit Gelasius Papa in Concilio 70 Episcoporum anno 496 in decreto de libris recipiendis. Ad Innocentii Decretum sec. VIII. appellat Nicolaus Papa (*Epist. ad Episcopos Galliae*) ita, ut illud sine controversia receptum supponat in universa Ecclesia. Eumdem etiam catalogum habent vetustissimae collectiones Ecclesiae Occidentalis, ac nominatim Dionysii exigui, Cassiodori, Isidori Hispalensis, ac Gratiani; eumdemque sec. XV. exibuit Eugenius IV. in decreto Ecclesiae Romanae nomine, pro Iacobitis dato anno 1439. Accedit etiam vetus *Ordo Romanus*, in quo praescribitur Clero universo per anni circulum lectio ex singulis recensitis libris.

II. Catalogus Librorum sacrorum consignatus ab In-

---

(1) In hac Epistola ita scribit Innocentius Papa. " Consulenti tibi, frater carissime, quid de proposita specie unaquaque sentirem; pro captu intelligentiae meae, quae sunt visa, respondi, quid sequendum vel lucidior ratio persuaderet, vel auctoritas lectione ostenderet, vel custodita temporum series demonstraret. Et quidem dilectio tua institutum secuta prudentium (al. praecedentium), ad Sedem Apostolicam referre maluit, quid de rebus dubiis custodire deberet, potiusquam, usurpatione praesumpta, quae sibi viderentur de singulis, obtinere... Proponam igitur singula, subiiciamque responsum. „ Et omissis hic sex capitibus, septimum sic habet. " Qui vero libri recipiantur in Canones Sanctarum Scripturarum, brevis annexus indiculus ostendit. Haec sunt ergo quae desiderata moneri voce voluisti. Moysis libri quinque.... „

nocentio I. ille ipse est quem Apostoli Romanae Ecclesiae tradiderunt. Id elucet in primis ex ipsa auctoritate, etiam historice loquendo, Romanae Ecclesiae, quae, ut ait Valtonus, licet anglicanus (*Proleg. de variis versionibus et editionibus Bibliorum*, c. 6.), *principem inter Ecclesias locum semper tenuit, et antiquarum traditionum tenacissima fuit.* Constat deinde ex auctoritate Ecclesiae Africanae. Nam seculo I. exeunte, haec a Romana una cum Scripturis fidem accepit, ut diserte testatur Innocentius I. (*Ep.* 35. *ad Decentium Eugubinum*, n. 2.), Tertullianus (*Praescript.* c. 36.) et Augustinus saepe. Ecclesia enim Africana, tamquam divinos semper recepit libros deuterocanonicos, ut patet tum ex Tertulliano et Cypriano, qui tamquam Scripturam sacram citare solent in suis operibus testimonia inde desumpta; tum ex canone Scripturarum consignato a Conciliis Hipponensi an. 393. can. 27. et Carthaginensi III. an. 397. c. 47., nec non ab Augustino (*Doct. christ.* lib. 2. c. 8. n. 13.). Idem etiam conficitur ex communi et veteri vulgata editione *Itala*, quae in usu erat in Occidente ante Hieronymianam, quaeque in ipsis *primis fidei temporibus* facta fuit. In hac enim editione *omnes* et *solos* libros Tridentini canonis comprehensos fuisse, constat ex diserta descriptione Cassiodori (*Instit. divin. litter.* c. 12, 14.). Denique ineluctabile habemus argumentum in Ep. 1. S. Clementis Romani *ad Corinthios*: nam proferuntur ibi testimonia ex omnibus pene libris V. et N. Testamentis, etiam deutero-canonicis. Cf. Perrone (*De Verbo Dei scripto et tradito*, c. 1. prop. 1.), item (*De Trinitate* c. 2. prop. 2).

Traditio Ecclesiarum Orientalium. Huius traditionis documenta haec sunt praecipue.

I. Antiquissimae *versiones* ac *recensiones* librorum Scripturae. Versio enim graeca Alexandrina LXX. interpretum, quousque illam per antiquitatis documenta persequi licet, continet libros etiam omnes deuterocanonicos V. T., et quidem protocanonicis permixtos. (1) Similiter versiones

(1) Haec observatio est momenti non levis. Nam Christus et Apostoli hac versione usi fuere: nam ex 350 citationibus, quae in N. T.

quae immediate ex graeca derivatae sunt, ac nominatim versio latina *Itala*, de qua supra. Quod attinet vero ad libros N. T. completum canonem recensent Origenes (Hom. 7. *in Iosue*, coll. Hom. 13. *in Gen. n.* 2.), Athanasius (*Ep. festali*), Synopsis dicta Athanasiana: item, omissa sola Apocalypsi, Gregorius Nazianzenus (*Carm.* 12. al. 24.), Cyrillus Hierosolymitanus (*Catech.* 4. n. 33.), Concilium Laodicenum, can. 6. Denique sec. VII. Synodus Trullana a Graecis habita tamquam continuatio oecumenici VI. can. 2. suscepit canones Africanos, in quibus omnes libri Scripturae, prout in Vulgata extant, recensentur.

II. *Citandi usus* apud veteres Patres Orientales quinque priorum seculorum. Libros enim deutero-canonicos passim citant sub consueta formula, *Scriptum est*, *Scriptura dicit*, *Spiritus in Scriptura dicit*, in iis contextibus, ubi agitur de instituendis fidelibus in doctrina fidei. Ex huiusmodi vero usu manifestum fit, hos libros publica Ecclesiae consuetudine inter Scripturas Sacras receptos fuisse, praesertim cum ab hoc indiscriminato usu non abstineant illi ipsi Patres, qui aliquam haesitationem exhibuerunt ex peculiaribus quibusdam adiunctis inferius exponendis. Vid. hae citationes apud Ios. Blanchinium (*Vindic. can. Script.*), Vincenzi (*Sess. IV. Trid. vindicata*), ac brevius apud Franzelin (*De Scripturis divinis*, th. 10, 15.).

III. Accedit denique consensus Ecclesiae Graecae *schismaticae* aliarumque sectarum Orientis. Licet enim iamdiu ab Ecclesia Romana sint divulsae, integrum tamen Scripturarum canonem a Tridentino consignatum retinuerunt. Quapropter Cyrillus Lucaris, qui reiiciendo libros deutero-canonicos V. T. protestantibus gratificari volebat, ita damnatus fuit a Synodo Hierosolymitana anno 1672. " Ecclesiae Catholicae regulam sequentes, sacram Scripturam eos omnes appellamus libros, quos ab

---

occurrunt, tercentae expressae sunt secundum versionem Alexandrinam. Unde Augustinus (Ep. 104. al. 88. *ad Hieronymum*, n. 6.): " Qua usos Apostolos non solum res ipsa indicat, sed etiam te attestatum esse memini. „

Laodicena Synodo Cyrillus, ipso quidem corrogante, probatos recenset; iis insuper additis, quos insipienter, inscite, aut magis malitiose vocavit apochryphos, *Sapientiam* videlicet *Salomonis*, *librum Iudith*, *Tobiam*, *draconis historiam*, *historiam Susannae*, *Machabaeos et Sapientiam Sirach.* Hos enim cum ceteris genuinis sacrae Scripturae libris, ceu germanas eiusdem Scripturae partes, censemus esse numerandos. *Quoniam quae sancta Evangelia aliosque Scripturae libros ut genuinos tradidit antiqua consuetudo, seu magis Ecclesia Catholica, et istos haec ipsa, ceu sacrae Scripturae partes, procul dubio tradidit; quatenus et istos qui neget, et illos recusaverit.* Sin vero a cunctis haud recenseri omnes fortasse videantur, isti nihilosecius a Synodis, nec non et a multis cum antiquissimis tum nominatissimis Catholicae Ecclesiae theologis recensentur, et sacras inter Scripturas numerantur. Quos omnes et nos iudicamus esse canonicos, et sacram eos esse Scripturam confitemur. „ (Harduinus, to. XI. fol. 258.) Vide alias attestationes apud Franzelin (*De Scripturis divinis*, th. XI.).

Confirmantur tandem haec quae diximus manifestae praescriptionis argumento. Si enim simul conferantur quae hactenus diximus, manifestum est omnes omnino Ecclesias ante Tridentinum in hanc fidem unanimiter conspirasse, neque ullum antiquitatis documentum edocet vel suspicionem ingerit de immutatione aliqua in re praesenti inducta adversus traditionem Apostolicam. Agitur praeterea de re frequentatione continua, ac omnibus tum pastoribus tum fidelibus notissima, et in qua si innovatio accidisset discrepans a certa traditione antecedente statim et gravissimae reclamationes auditae fuissent (1); praesertim si attendatur vigilantia pastorum ne ullam innovationem reciperent discrepantem ab antiqua traditione. Quapropter Augustinus (15. *Civ.* 4.). *Omittamus igitur earum Scripturarum fabulas, quae apocryphae nuncupan-*

(1) Huius rei exemplum habes in tumultu, quem Augustinus (Ep. 71. al. 10. n. 5.) narrat contigisse in Ecclesia, occasione unius voculae immutatae. Quod enim in versione Hieronymiana dicitur *hedera*, Ion. iv. 6, vulgata Itala iuxta LXX legebat *cucurbitam.*

tur, eo quod earum occulta origo non claruit Patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissima et notissima successione pervenit.

Neque obstant huic probationi antiqui canones Scripturarum, qui solos libros protocanonicos V. T. recensent, videlicet Melitonis, Origenis, Hilarii, Epiphanii, nec non Hieronymi, Rufini, Athanasii, Nazianzeni, Amphilochii, Cyrilli Hierosolymitani, Synopsis dictae Athanasianae, ac Laodiceni can. 60. (Vide Franzelin, *De Scrip.* th. 13.) Nam quatuor priores solummodo intendunt consignare canonem Esrinum. Quod attinet vero ad reliquos, nullus eorum rata sententia negavit, alios libros, h. e. deuterocanonicos V. T., inter Scripturas sacras esse recensendos, sed voluerunt dumtaxat consignare libros Scripturae, qui *apud omnes in confesso erant* et de quibus *nulla mota erat quaestio.* Praeterea, hae ipsae dubitationes non fuere communes, sed quorumdam solummodo ac privatae. Tota enim haec quaestio mota est in oriente sec. IV. et aliquamdiu deinceps perduravit; nam Hieronymus et Rufinus ad orientales potius doctores respiciunt. Eo ipso tempore autem quo dubitabatur a quibusdam, publico Ecclesiae usu et consuetudine libri isti ut partes Scripturae agnoscebantur, ut patet ex ipsis citationibus eorumdem quae occurrunt apud Patres qui obiiciuntur. Hinc manifestum est has dubitationes non ex maiorum traditione ortum habuisse, sed ex particuliaribus quibusdam adiunctis traditioni extrinsecis, nempe, ut optime expendit Franzelin (*De Script.* th. 12.), ex instituta comparatione Scripturarum Ecclesiae cum Scripturis canonis hebraici, occasione editionis hexaplaris factae ab Origene, donec ex evidentia publici usus et ex necessitate conciliandi doctrinam cum ipsa publica consuetudine, in orientalibus etiam ecclesiis, omnis dubitatio desiit seculo videlicet V. exeunte.

Nec etiam obstant dubitationes, quae sec. III. et IV. inciderunt de aliquot N. T. libris. Ortae enim fuerunt eo quod infrequentius citarentur ab antiquioribus. Sed huiusmodi criterium negativum omni valore destituitur, quippe, ut vidimus, antiquissimi canones tum in Occidente tum

in Oriente eos libros recensent, iidemque iam erant in usu universae Ecclesiae. Accedit quod nonnullae epistolae brevissimae erant; unde nil mirum quod non adeo frequenter citarentur: epistola praeterea ad Hebr. et Apocalypsis cum cautione citabantur ac legebantur ob abusum errantium, videlicet Novatianorum, Arianorum, ac Millenariorum. Lege Franzelin (*De Scrip.* th. 16 et 17.).

Corollarium. Libri omnes integri cum omnibus suis partibus, prout in Tridentini decreto recensentur, pro sacris et canonicis sunt suscipiendi, utpote divinitus inspirati. Nam demonstratum est libros omnes integros, qui in canone Tridentini recensentur, recipiendos esse ut *Scripturam sacram ab Ecclesia propositam.* Scriptura autem dicitur *sacra*, quia Spiritu Sancto inspirante conscripta Deum habet auctorem, ut supra ostensum est: *canonica* vero, quia ut talis ab Ecclesia proponitur ac legitur. Praeterea, Tridentinum sess. IV. absque ullo omnino discrimine recenset hos libros, deutero-canonicos protocanonicis intermixtos: eosque omnes integros, cum omnibus suis partibus, definit esse *sacros* et *canonicos*, ac *pari pietate* recipiendos cum traditionibus Apostolico-divinis: dicuntur autem a Concilio sacri et canonici, quia *Deum habent auctorem*, traditiones vero Apostolico-divinae pari pietatis affectu suscipiendae sunt cum libris praedictis, quia sunt vel a Christo vel a Spiritu Sancto *dictatae.* Tandem Conc. Vaticanum, Constit. *Dei Filius*, c. 2. ita ait. " Qui quidem V. et N. T. libri integri cum omnibus suis partibus, *prout in eiusdem Concilii* (Tridentini sess. IV.) *recensentur* et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. *Eos* vero *Ecclesia pro sacris et canonicis habet... propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem*, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt. „ Item can. 4. " Si quis Sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut *eos divinitus inspiratos esse negaverit*; anathema sit. „ Ex quo manifestum est, libros proto et deutero-canonicos non posse nisi ab haeretico ita distingui, perinde ac si priores sint

divinitus inspirati, posteriores vero *utiles dumtaxat ad fidei instructionem et morum informationem*; licet haec distinctio valeat tum in usu polemico eorumdem contra protestantes, tum ut historice designentur libri de quorum inspiratione quondam dubitatio aliqua fuit intra Ecclesiae fines.

Scholion I. Licet libri aliqui ad Scripturam non pertinentes, ut Acta Martyrum, Ep. Pontificum et scripta SS. Patrum, primis Ecclesiae temporibus legerentur in publicis Christianorum conventibus; lectio tamen Scripturae semper distincta fuit. Unde Augustinus ex huiusmodi lectione ita probat canonicam auctoritatem libri *Sapientiae*. (*De Praedest. Sanct.* c. 14.) *Quae cum ita sint, non debuit repudiari sententia libri Sapientiae, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiae Christi tam longa annositate recitari, et ab omnibus Christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos fideles, poenitentes, catechumenos, cum veneratione divinae auctoritatis audiri.* Cf. etiam (Ep. 64. al. 235. *ad Quintianum*, n. 3.). Exortis deinde dubitationibus de quibusdam libris, nonnulli e veteribus hanc distinctionem posuerunt inter libros *canonicos* et *ecclesiasticos*, ita ut *canonici* appellarentur qui in canone, h. e. in indice librorum inspiratorum, sine controversia recipiebantur, *ecclesiastici* vero qui, licet cum ceteris Scripturis in Ecclesia legerentur, a quibusdam tamen in quaestionem vocabantur. Vide Franzelin (*De Script.* th. 10. et 13.).

Scholion II. Quod libri nonnulli non canonici, ut 3^{us} et 4^{us} *Esdr.*, 3^{us} et 4^{us} *Machab.* ex V. T.., et *Pastor Hermae*, ac *Ep. Barnabae* et *Clementis* (1), commemorentur a quibusdam Patribus ut Scriptura Sacra, vel etiam contineantur in nonnullis codicibus Scripturae, id longe diversum est ab illo usu *communi* et *constanti*, qui reperitur quoad libros canonicos. Quapropter dicuntur

(1) Huc etiam pertinent *Oratio Manasse, Appendix continens genealogiam Iobi, Psalmus 151, Prologus Ecclesiastici, Praefatiuncula Threnorum.*

apocryphi, non quia a Deo minime sint inspirati ideoque ab Ecclesia *positive* reprobati, sed quia *auctoritatis* sunt *dubiae* et *obscurae*, ideoque in canone non recepti. Utrum vero libri aliqui sint deperditi ex iis, qui fuerunt Deo inspirante conscripti, controvertitur apud auctores. Lege Bonfrerium (*Praeloquia*, c. 6.).

Scholion III. Protestantes nequeunt esse certi de canone Scripturarum, quas retinuerunt, non quia probatio historica, quam attulimus, morali certitudine careat; sed propter fundamentale eorumdem principium de *Scriptura tamquam unica fidei regula*, ut melius patebit inferius. Addendum est etiam, quod non semel monuimus, probationem *historicam*, licet in se et obiective loquendo firma sit, minime tamen esse *obviam* ac *omnibus accommodatam*. Supponit enim notitiam historicam multorum, quibus examinandis pauci sunt idonei. Et hoc modo accipienda sunt quae disputat Perrone (*Praelect. theol. De Script.* c. 1. prop. 2.).

Scholion IV. Quod attinet ad veterem Synagogam, fideles tunc temporis poterant dignoscere libros divinos, tum ex auctoritate Prophetarum, tum auctoritate Pontificum, iuxta ea quae praecepit Dominus Deuter. xvii. 8, 12. Confer Becanum in suo egregio opusculo, cui titulus: *Analogia V. et N. Testamenti*, c. 12.

DE USU SACRORUM LIBRORUM

THESIS V.

Scriptura Sacra non est ita aperta, ut per se sufficiat ad dubia omnia dissolvenda quae in eius interpretatione occurrunt; sed necessario requiritur vivus aliquis interpres ac iudex.

Ex iis, quae huc usque disputavimus, constat Scripturam Sacram esse *regulam fidei*. Haec porro regula,

cum rationalis sit, non aliter quam per cognitionem intellectui humano applicari potest; et quia est fidei divinae, cognitio huiusmodi dubia aut falsa esse nequit. Hinc necessario consequitur, vel Scripturam Sacram clare et perspicue proponere debere credenda, vel interpretem aliquem requiri ab errore et fallacia immunem, qui obscuritatem dissipet, dubiumque dissolvat. Secus inutiliter omnino huiusmodi fidei regula nobis tradita esset a divina providentia. Iam vero convenit inter Catholicos et Protestantes, Scripturas intelligi debere eo spiritu, quo factae sunt, id est Spiritu Sancto, iuxta monitum B. Petri 2. Ep. c. 1. *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim humana voluntate allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Sed controversia est inter utrosque, eaque praecipua, ubi sit iste Spiritus. Nos enim fatemur eum inveniri in Ecclesia hierarchica a Christo fundata, h. e. in authentico iudicio Pastorum Ecclesiae, ac dependenter ab eo iudicio in ceteris etiam fidelibus. Protestantes contra docent, Spiritum Sanctum Scripturae interpretem non esse alligatum Episcopis, vel ulli hominum generi, et ideo unumquemque iudicem esse debere, sive spiritum suum sequendo, si ipse donum interpretationis habeat, sive alicui alteri adhaerendo, quem eodem dono praeditum viderit. Quemadmodum vero singulis concedunt ut secundum proprium iudicium de sensu Scripturarum sententiam ferant, ita etiam principibus eamdem potestatem faciunt, ut secundum proprium iudicium determinent de eodem sensu prout ad statum refertur. Quod quantopere a veritate sit alienum proposita et sequens thesis ostendet.

Generale argumentum pendet e duplici assertione. Prior, Scripturam non esse ita apertam in multis locis, ut non egeat interprete. Altera, huiusmodi interpretem non esse ipsam Scripturam in omnibus iis locis declarandis. Inde enim, supposita divina sapientia et providentia, manifeste consequitur, aliquem alium interpretem esse divinitus constitutum, qui vivo suo iudicio haec obscura declaret dubiumque dissolvat.

Probatur I. assertio. Scripturam non ita esse apertam, ut nullo egeat interprete, constat:

I. Ex ipsa Scriptura de sua obscuritate testificante. Sic 2. Petr. i. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco.* Similiter idem B. Petrus ibid. iii. 16. loquens de Epistolis B. Pauli: *In quibus*, ait, *sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Huc faciunt etiam testimonia, quae docent necessitatem supernaturalis illustrationis ad Scripturae intelligentiam, etiam pro piis et doctis. Luc. xxiv. 45. *Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.* Act. viii. 30, 31. *Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam prophetam, et dixit: Putasne intelligis, quae legis? Qui ait* (Eunuchus): *Et quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi?* Ita etiam passim in Ps. 118.

II. Ex Patrum testimonio, qui licet sancti et sapientes, hanc obscuritatem passim fatentur, eiusque causas simul produnt, videlicet ad edomandam labore superbiam; ut sensum pie quaerentis exerceant; ne nuda et prompta vilescant; ut haberent postea servi Dei, quod interpretando influerent super aures et corda hominum; ut subtracta desiderentur ardentius, et inveniantur desiderata iucundius; ut notitia veritatis occultetur iis, qui eam quaerere nolunt. Lege Augustinum (*Doctr. Christiana*, lib. 2. c. 6.; *In Ps.* 146. v. 6, 8.; *Lib. contra mendac.* c. 10.).

III. Ex ipsa rei natura. Nam *res*, de quibus Scripturae loquuntur, saepissime propter earumdem altitudinem et absentiam excedunt hominis captum: *modus* vero *loquendi* eiusdem innumeras habet difficultates propter diversitatem significationum, et interpretationum, propter multitudinem figurarum etc., ut experientia notissimum est.

Probatur II. assertio. Quod autem Scriptura ipsa non sufficiat ut quae obscure proponit clare percipiantur, primum patet ex propositis. Nam obscuritas orta *a rebus* nequit tolli per collationem locorum, quippe eadem ubique manet obscuritatis causa. Cum vero adsunt loca

clariora, tum eorumdem collatio difficillima saepe est, tum etiamsi fiat, obscuritatem saepe non aufert, quemadmodum videri potest ex ipsis controversiis inter nos et protestantes. Oportet etiam notare hanc difficultatem et obscuritatem non raro augeri ex suppositione ortae controversiae, cum unusquisque litigantium velit haberi tamquam clariora ea loca, quae ipsi ut talia videntur, et ex iis declarare alia, quae ab adversariis tamquam clariora adhibentur. Confirmatur praeterea tum ex ipsa Scriptura Deuter. xvii. 8...; 2. Par. xix. 10.; Matth. ii. 4.; Act. xv. 6, 7, ubi Deus etiam in veteri oeconomia iudicium de rebus religionis non remittebat ad ipsam Scripturam, sed ad Sacerdotes: tum ex tota historia Ecclesiastica. Nulla enim haeresis per solam Scripturam damnata fuit, nec causa ulla absque vivorum iudicum sententia fuit unquam terminata.

THESIS VI.

Legitimus interpres et iudex Scripturarum non est spiritus cuiusque privatus, aut magistratus politicus, sed Ecclesia hierarchica a Christo fundata.

Probatur I. pars. Nam interpres et iudex, quem quaerimus, debet suppeditare fidei regulam *certam*, *divinitus institutam*, et *fidelibus accommodatam*. Ratio est perspicua. Si enim esset *incerta* seu fallibilis, non posset secundum eam regulari assensus certus et infallibilis, qualis habetur in fide divina; si non esset *divinitus instituta*, minime servaretur monitum apostolicum, 2. Petr. i. 20, 21. ut videlicet Scriptura eo Spiritu intelligatur quo facta est: si denique *fidelibus* minime esset *accommodata*, non posset obtinere finem ad quem obtinendum a divina providentia est ordinata. Atqui nihil horum invenitur in *spiritu privato* a protestantibus inducto.

I. Huiusmodi spiritus non praebet regulam *certam* in interpretatione Scripturae. Ratio duplex est. Altera *ex*

ipsa rei natura, propter innumeras causas erroris quibus intellectus humanus obnoxius est, praesertim in iis quae de se obscura sunt ac naturam superant. Altera *ex ordinatione divina*, quae arcano consilio permisit, ut haereses fere omnes ex tali privata persuasione orirentur, divulgarentur et confirmarentur: quod ex tota historia protestantismi manifestissimum est.

II. Haec regula praeterea non est *divina*. Si enim talis spiritus consideretur ut omnibus communis, profecto a Deo non est, cum contraria dictet. Sin vero consideretur prout speciali modo invenitur in aliquo, duo obstant, quominus ut divinus habeatur. Imprimis enim incertum omnino est ut plurimum, a quo sit, utrum nempe a Deo vel a natura aut diabolo. Hinc illud Ezech. xiii. 3. *Haec dicit Dominus Deus: Vae prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident!* ac Matth. xxiv. 11. *Multi pseudoprophetae surgent, et seducent multos.* Deinde licet id habenti certum foret, nequit aliis esse idonea credendi regula. Nam fides nostra debet esse *apostolica*, ac proinde illi dumtaxat, quorum ministerium in continua successione apostolica continetur, auctoritatem a Deo habent fidem a nobis exigendi, iuxta mandatum Domini Matth. ult. *Euntes docete... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Atqui Pastoribus dumtaxat Ecclesiae Catholicae haec indisrupta successio in apostolico ministerio convenit, ut suppono ex *Catholica demonstratione*. Ergo qui independenter a magisterio horum pastorum fidem a nobis exigere velit, a Deo profecto non mittitur, iuxta Domini monitum Ioan. x. 1. *Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.* Hinc ipse Paulus ascendit Hierosolymam ut eius missio probaretur ab Apostolis, quemadmodum narrat Gal. ii. 1, 2. *Ne forte*, ait, *in vacuum currerem aut cucurrissem.* In quem locum Augustinus (28. *Contra Faustum*, 4.). " Quis est ergo tam demens, ut credat nescio cui ex transverso de Perside post ducentos et amplius annos venienti... cum ipse Apostolus Paulus post Ascensionem Domini de caelo vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus commu-

nicando, et cum quibus conferendo Evangelium, eiusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet? „

III. Patet denique istiusmodi regulam minime esse *fidelibus accommodatam*. Nam ad eius applicationem opus est imprimis Scripturarum libros habere, eosque non corruptos; deinde necesse est eos legere; denique requiritur intelligentia ut legitimus sensus inde eliciatur. Atqui manifestissimum est nec omnes, nec etiam maiorem partem fidelium, posse haec praestare.

Neque huius ratiocinationis robur labefactatur, si quis dicat sufficere ad salutem credere quae unusquisque pro sua capacitate didicerit ex Scripturis. Etenim hoc non modo nulli fundamento innititur, sed manifeste repugnat tum *integritati fidei* etiam quoad articulos maxime necessarios, quos maxima fidelium pars nequit ex Scripturarum lectione addiscere: tum *oeconomiae divinae* Matth. ult., 1. Cor. xii., Ephes. iv. 11..., 16. ubi non lectio Scripturarum, sed vivum magisterium Ecclesiae proponitur tamquam medium a Christo institutum ad fidei propagationem et conservationem: tum *apostolicae disciplinae* 1. Cor. xiv. 35. ubi mulieribus non praecipitur lectio Scripturarum, sed ut *domi viros suos interrogent.*

Probatur II. pars. De medio sublato istiusmodi privato spiritu quem protestantes confinxerunt, facile ostenditur non pertinere ad *magistratum politicum* ut dubia Scripturarum dissolvat. Nihil enim potest ultra virtutem a suis causis acceptam. Causa autem principatus politici, tum efficiens, tum finalis, intra naturalem ordinem continetur: divina autem revelatio, ac proinde Scripturae interpretatio, ad supernaturalem ordinem spectat, quemadmodum et fides. Praeterea, potestas principis secularis, qua talis, eadem est tum in principe fideli tum in pagano: est autem plane ridiculum huic concedere munus interpretandi Scripturas.

Probatur III. pars. Consequitur aperte ex praecedentibus. Si enim neque Ecclesia hierarchica a Christo fundata esset legitimus interpres et iudex controversiarum, quae in interpretatione Scripturarum occurrunt, plane di-

cendum esset, Deum verbum suum in has terras iecisse, ut illud, perinde atque hoc universum, traderet disputationi hominum; quod absque magna impietate dici nequit. Accedunt deinde propriae et directae probationes in proprio tractatu afferendae. Ecclesiae enim commissum est a Deo totum fidei depositum custodiendum et explicandum; atque ad hoc munus rite et utiliter exercendum, perpetuo *veritatis charismate* ornata fuit, prout Prophetae praedixerunt Isai. xxxv. 8. liv. 13, 17. lix. 20. 21.; Christus promisit, Matth. xvi. 18. xxviii. 16. 20. Ioan. xiv. 16, 17. xv. 26. xvi. 12, 13.; Apostoli praedicarunt, 1. Tim. iii. 15.; fidei denique unitas necessario exigit. Porro ad fidei depositum spectant imprimis Scripturae. Apposite Augustinus (Tr. 18. *in Ioan.* n. 1.) " Neque enim natae sunt haereses et quaedam dogmata perversitatis illaqueantia animas, et in profundum praecipitantia, nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene; et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur. Itaque, carissimi, valde caute haec audire debemus, ad quae capienda parvuli sumus; et corde pio et cum tremore, sicut scriptum est, hanc tenentes regulam sanitatis, ut quod secundum fidem, qua imbuti sumus, intelligere voluerimus, tamquam de cibo gaudeamus: quod autem secundum sanam fidei regulam intelligere nondum potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus; hoc est, ut etiam si quid sit nescimus, bonum tamen et verum esse minime dubitemus. Et ego, fratres, qui suscepi loqui vobis, cogitandus sum a vobis qui susceperim et quae susceperim: suscepi enim tractanda divina homo, spiritualia carnalis, aeterna mortalis. Etiam a me, carissimi, longe sit vana praesumptio, si volo sanus in domo Dei conversari, *quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis*, 1. Tim. iii. 15.: pro modulo meo capio quod vobis appono; ubi aperitur, pascor vobiscum; ubi clauditur, pulso vobiscum. „ Egregie etiam Tertullianus (*Praescript.* 19). " Non ad Scripturas provocandum est; nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incertae. Nam etsi non ita evaderet conlatio Scripturarum, ut

utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa? Cuius sint Scripturae? A quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina qua fiunt christiani? *Ubi enim paruerit esse veritatem et fidei et disciplinae christianae, illic erit veritas Scripturarum, et expositionum, et omnium traditionum christianarum.* „ Itemque Irenaeus (*Adv. haer.* lib. 4. c. 23). " Agnitio vera est Apostolorum doctrina, et antiquus Ecclesiarum status in universo mundo, et *character corporis Christi secundum successiones Episcoporum*, quibus illi eam, quae in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt: quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione Scripturarum, tractatio plenissima, neque additamentum, neque ablationem recipiens, et *lectio sine falsatione, et secundum Scripturas expositio legitima et diligens, et sine periculo, et sine blasphemia.* „

Corollaria. Ex quibus haec facile intelliguntur.

I. Scriptura dicitur *lux*, 2. Petr. 1. 19. quia *rite intellecta* mentem instruit de rebus altissimis. Id vero minime excludit media a Deo instituta ad eius rectam intelligentiam, ac praecipue Ecclesiae magisterium. Quod si aliquando Patres Scripturae claritatem commendant, ut Augustinus (2. *Doctr. Christ.* 9.), Chrysostomus (Hom. 3. *de Lazaro;* Hom. 3. *in* 2. *Thess.*), id dicunt *respective* ad quaedam loca faciliora, ex. gr. historica, moralia, et ad tumidam verborum pompam veterum Philosophorum, idque cum dependentia ab Ecclesiae intelligentia.

II. Duplex est Sacrae Scripturae interpretatio, altera *doctrinalis*, *iudicialis* altera. Ad priorem requiritur eruditio, ad alteram vero requiritur auctoritas. Doctor enim non proponit sententiam suam, ut necessario sequendam, sed solum quatenus ratio suadet: at iudex proponit ut sequendam necessario. Iudicialis pertinet ad Ecclesiae pastores: doctrinalis fieri potest a privatis doctoribus, qui huic muneri exercendo sint idonei.

III. Ecclesiae fides ac magisterium dupliciter est norma in Scripturae interpretatione, *negative* et *positive*. Est norma *negativa*, quatenus prohibet ne Scripturae tribuatur sensus ab Ecclesiae fide ac definitione alienus.

Nam Spiritu eodem Scriptura condita est quo Ecclesia dirigitur, videlicet Spiritu Sancto, qui non potest contraria dictare. Est autem norma *positiva* tum generatim, tum speciatim. *Generatim* quidem, quia ipsa praecognita veritas divinae revelationis ex vivo magisterio Ecclesiae multum iuvat, *propter fidei analogiam*, ad obscuriora quaedam testimonia Scripturarum intelligenda: ex. gr. Ephes. v. 32. de matrimonii sacramento; 2. Cor. i. 22. Eph. i. 13. de charactere sacramentali; Luc. i. 28. de perfectione sanctitatis in immaculata Virgine, etc. *Speciatim* vero, quatenus in determinatis textibus tenendus est ut legitimus Scripturae sensus ille, quem ut talem agnoscit Ecclesia sive universali et certo consensu, sive solemni aliqua definitione, ex. gr. Matth. xxviii. 19.; Ioan. i. 1, 14.; vi. 54.; x. 30.; xv. 26.; xvi. 13...; xx. 23.; Luc. xxii. 19, 20.; Iac. v. 14., etc. Huc pertinet declaratio Vaticani Const. *Dei Filius*, c. 2. " Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos idem decretum renovantes hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, *is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia*, cuius est iudicare de vero sensu ac interpretatione Scripturarum sanctarum; *ideo nemini licere* contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari. „

IV. Ex iis quae docuimus minime sequitur, prout calumniantur protestantes, Ecclesiae iudicium esse supra Scripturam, vel Scripturam ab hoc iudicio evadere veriorem. Apposite Bellarminus (*De Verbo Dei*, lib. 3. c. 10.). " Duobus modis potest intelligi Ecclesiam iudicare de Scripturis. Uno modo, quod iudicet, verum ne sit an falsum quod Scripturae docent: altero modo, quod, posito ut fundamento certissimo, Scripturae verba esse verissima, iudicet quae sit vera eorum interpretatio. Et quidem, si primo modo Ecclesia iudicaret, vere esset supra Scripturam: sed hoc non dicimus, quamvis haeretici calumnientur

id nos dicere, qui passim vociferantur nos subiicere Scripturam pedibus Papae. At secundo modo iudicare Ecclesiam vel Pontificem de Scripturis, quod nos asserimus, non est Ecclesiam esse supra Scripturam, sed supra iudicia privatorum hominum. Non enim iudicat Ecclesia de veritate Scripturae, sed de intelligentia tua, et mea, et aliorum, neque hinc sumit verbum Dei aliquod robur, sed intelligentia nostra; non enim Scriptura est verior, aut certior, quia sic ab Ecclesia exponitur, sed mea sententia est verior, quando ab Ecclesia confirmatur. „

V. Interior illustratio Spiritus Sancti, quam Ecclesia Catholica contra Pelagianos tuetur, differt omnino ab interiori instinctu *privati spiritus* a protestantibus inducti. Neque enim isti in eo sunt haeretici, quod requirant interiorem Spiritus Sancti illustrationem ad credendum; hoc enim catholicum est et a catholicis acceperunt, antequam fierent haeretici. Huc pertinet, quod ait Christus, Ioan. vi. 45. *Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Item 1. Ioan. ii. 27. *Unctio eius* (Dei) *docet vos de omnibus.* In hoc autem ab Ecclesia discedunt et sunt haeretici, quod ita admittunt eiusmodi interiorem illustrationem, ut *simul excludant necessitatem regulae externae vivae et infallibilis credendi*, quae est Ecclesia, cuius definitionibus non potest contradicere Spiritus divinus, a quo ipsa Ecclesia regitur. Cf. Lugo (*De Fide. Disp.* 1. n. 138, 140.). Ex quo apparet, quomodo, etiam in hoc puncto, Ecclesia Catholica medium incedat iter inter contrarios errores, Pelagianismum et Luteranismum: multi enim facti sunt haeretici dum voluerunt disconvenire ab aliis haereticis in eo in quo non fuerunt haeretici, et per hoc in haereses contrarias inciderunt.

Quaer. I. **Utrum Sacra Scriptura sub una littera habeat plures sensus?**

Respondeo *affirmative*, ut habetur Matth. ii. 15.; xiii. 35.; xxi. 42.; Ioan. xiii. 18.; xv. 25.; xix. 36.; Rom. x. 18.; 1. Cor. x. 11.; Gal. iv. 24.; Eph. iv. 8.; Hebr. i. 5.; ii. 13., etc. Unde Origenes (*De Princ.* lib. 1. initio) inter ea, quae in manifesta praedicatione Eccle-

siastica continentur, hoc etiam enumerat, *quod per Spiritum Dei Scripturae conscriptae sint, et sensum habeant non eum solum qui in manifesto est, sed et alium quemdam latentem quamplurimum.* Id vero ita perspicue, pro suo more declarat Angelicus Doctor (*Summa th.* 1. p. q. 1. a. 10.). " Auctor sacrae Scripturae est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest), sed etiam res ipsas. Et ideo, cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid. *Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus vel litteralis: illa vero significatio, qua res, significatae per voces, iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super litteralem fundatur et eum supponit.* Hic autem sensus spiritualis trifariam dividitur. Sicut enim dicit Apostolus ad Hebr. vii. lex vetus figura est novae legis; et ipsa nova lex, ut dicit Dionysius (*Eccl. Hier.* c. 5. 1. p.), est figura futurae gloriae; in nova etiam lege ea, quae in capite sunt gesta, sunt signa eorum, quae nos agere debemus. Secundum ergo quod ea, quae sunt veteris legis, significant ea quae sunt novae legis, est sensus *allegoricus*: secundum vero quod ea, quae in Christo sunt facta, vel in iis, quae Christum significant, sunt signa eorum, quae nos agere debemus, est sensus *moralis*: prout vero significant ea, quae sunt in aeterna gloria, est sensus *anagogicus.* „ Hic vero duo sunt notanda. Primo: licet semper habeatur in quolibet Scripturae textu sensus litteralis, non semper tamen habetur etiam sensus spiritualis. Ad sensum vero litteralem revocari debet etiam sensus *metaphoricus* seu *parabolicus*; continetur enim in *immediata* significatione vocis. Secundo: textus Scripturae *litteraliter* acceptae efficaciter probat; ut autem ex *spirituali* sensu formetur argumentum efficax, debet vel ex alio Scripturae textu, vel ex Ecclesiastica traditione liquido constare, sensum illum a Spiritu Sancto esse intentum. Ut enim arguit S. Thomas (*Quodl.* 7. a. 14. ad 4^{um}) " Una res pluribus similis esse potest: unde non potest ab illa,

quando in Scriptura sacra proponitur, procedi ad aliquam illarum determinate, sed est fallacia consequentis: verbi gratia, *leo* propter aliquam similitudinem significat Christum et diabolum; unde per hoc, quod aliquid de leone dicitur in sacra Scriptura, ad neutrum potest fieri processus, in sacra Scriptura argumentando. „ Cf. cetera quae S. Doctor habet in hoc art. quodl. cit. ac duobus seqq.

Quaer. II. **Utrum multiplex sensus litteralis eidem Scripturae textui subesse queat?**

Respondeo, *controverti* inter Doctores. Vide Vazquez (in 1. p. *Disp.* 17, 18.), ac Patrizi (*De interpr. Script.* lib. 1. c. 3. q. 2.). Nobis placet quod ait S. Thomas (1. p. q. 1. a. 10.). " Quia sensus litteralis est, quem auctor intendit: auctor autem sacrae Scripturae Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, *non est inconveniens*, ut dicit Augustinus (12. *Confess.*), *si etiam secundum litteralem sensum in una littera Scripturae plures sint sensus.* „ Item (*De Pot.* q. 4. a. 1.). " Duo sunt vitanda (h. e. in interpretatione Scripturae). Quorum primum est, ne aliquis id, quod patet esse falsum, dicat in verbis Scripturae... debere intelligi. Scripturae enim divinae a Spiritu Sancto traditae non potest falsum subesse, sicut nec fidei, quae per eam docetur. Aliud est, ne aliquis ita Scripturam ad unum sensum cogere velit, quod alios sensus, qui in se veritatem continent, et possunt, salva circumstantia litterae, Scripturae aptari, penitus excludantur. Hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat, ut sic et diversis intellectibus hominum conveniat, et unusquisque miretur se in divina Scriptura posse invenire veritatem, quam mente conceperit; et per hoc etiam contra infideles facilius defendatur, dum si aliquid, quod quisque ex sacra Scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium eius sensum possit haberi recursus. Unde non est incredibile, Moysi et aliis sacrae Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quae homines possent intelligere, ipsi cognoscerent, et ea sub una serie litterae designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris. Unde si etiam aliqua vera ab exposito-

ribus sacrae Scripturae litterae aptentur, quae auctor non intelligit, non est dubium quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinae Scripturae. Unde omnis veritas, quae, salva litterae circumstantia, potest divinae Scripturae aptari, est eius sensus. „

Dices: haec multiplicitas sensus litteralis videtur inducere incertitudinem in Scripturae interpretatione.

Respondeo, *nego*. Omnes enim fatentur, ante omnia et sine controversia retinendum esse tamquam genuinum sensum Scripturae, quem verborum proprietas, contextus, et ecclesiastica interpretatio exigit. Quod vero, *hoc sensu in tuto posito*, vel ut loquitur S. Thomas l. c., *salva circumstantia litterae*, aliquis *alius sensus detur qui priori non contradicat*, profecto minime auget Scripturae obscuritatem, sed eius profunditatem commendat, ac reddit potius magis accommodatam humanae intelligentiae, prout egregie demonstravit Angelicus Doctor l. c.

Quaer. III. **Quid sit sensus Scripturae, quem accommodatitium vocant?**

Respondeo, sic vocari eum sensum, qui nec mediate, nec immediate significatur a Deo, sed ab alio quocumque, propter analogiam quamdam et similitudinem, tribuitur et verbis applicatur. Hinc Scripturae auctoritatem non habet, licet, si debite usurpetur, utilis sit ad doctrinam illustrandam magis minusve pro maiori vel minori auctoritate accommodantis, scilicet aut Ecclesiae, aut interpretis. Ut autem rite usurpetur, necesse est imprimis ut sit verus; deinde ut ad *res pias* accommodetur; demum ne proferatur tamquam *litteralis* aut *spiritualis*. Utrum vero non solum Patres et Ecclesia, sed *Scriptores* etiam *sacri* in eo sensu aliquando allegaverint Scripturae testimonia, lege quae habet Vazquez (in 1. p. *Disp.* 14.), item Patrizi (*De interpr. Script.* lib. 1. c. 18. a. 2.).

Quaer. IV. **Quid specialiter observandum in exegetica Scripturae interpretatione?**

Respondeo. De hac re legendus est Augustinus (*De Doctr. christ.* lib. 2. et 3.). Speciatim tria notamus.

I. Ante omnia requiritur recta dispositio legentis. Haec alia est *remota*, alia *proxima*. Ad remotam per-

tinet *puritas cordis*; in malevolam enim animam aut corpus subditum peccatis sapientia non introibit: *oratio*; postulantibus enim sapientia promittitur: *intentio recta*, quippe eodem, quo facta est Spiritu, Scriptura perscrutanda est. Ad proximam dispositionem pertinent *humilitas*, qua ratio subiiciatur fidei, opinandique libido et philautia fraenentur: *simplicitas*, qua excludatur curiositas aut noxia aut inutilis: *sedulitas*, qua vincatur torpor aut taedium, excitetur attentio ac meditatio: *moderatio*, qua festinatio ac morositas nimia coerceatur.

II. Vox omnis et locutio accipienda est proprie, nisi necessitas aliqua cogat eam accipere improprie, sive ex circumstantia et contextu sermonis, sive ex analogia fidei. Huc pertinet regula tradita ab Augustino (*Doctr. christ.* lib. 3. c. 10.). *Quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscat.* Quapropter, ob repugnantiam cum fide, tropicus est sermo, qui Deo tribuit humana sive membra, sive officia; vel qui de Christo vel Ecclesia enuntiat praedicata ex rebus irrationalibus desumpta, aut statum actionesque ad seculi normam describit; vel denique qui felicitatem, potestatem, ornatum, victum aliaque iustorum sub rebus corporalibus proponit. Ob repugnantiam vero cum honestate, improprie accipiendus est sermo qui saevum quid et asperum sive contra se sive contra proximum iubere, aut molle quid seu carnale praecipere seu commendare videtur; vel qui alterutrum a viris sanctis factum laudare, vel imitandum proponere videtur.

III. Ut ante innuimus cum S. Thoma, curandum est ne tenacius, quam par est, interpretationi traditae adhaereamus, et penitus excludantur interpretationes, quas neque Ecclesiae auctoritas condemnat, neque circumstantia litterae aut alia Scripturae loca manifeste excludunt. Apposite Augustinus (*De Genesi ad litt.* lib. 1. c. 18, 19.). " In rebus obscuris, atque a nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam divina legerimus, quae possint, salva fide qua imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nullam earum nos praecipiti affirmatione ita

proiiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus: non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quae nostra est; cum potius eam, quae Scripturarum est, nostram esse velle debeamus. Ponamus enim in eo quod scriptum est: *Dixit Deus; Fiat lux: et facta est lux*; alium sensisse lucem corporalem factam, et alium spiritualem. Esse spiritualem lucem in creatura spirituali, fides nostra non dubitat: esse autem lucem corporalem caelestem, aut etiam supra caelum, vel ante caelum, cui succedere nox potuerit, tamdiu non est contra fidem, donec veritate certissima refellatur. Quod si falsum fuerit, non hoc habebat divina Scriptura, sed hoc senserat humana ignorantia. Si autem hoc verum esse certa ratio demonstraverit, adhuc incertum erit, utrum hoc in illis verbis sanctorum Librorum scriptor sentiri voluerit, an aliud aliquid non minus verum. Quod si cetera contextio sermonis non hoc eum voluisse probaverit, non ideo falsum erit aliud, quod ipse intelligi voluit; sed et verum, et quod utilius cognoscatur. Si autem contextio Scripturae hoc voluisse intelligi scriptorem non repugnaverit, adhuc restabit quaerere utrum et aliud non potuerit. Quod si et aliud potuisse invenerimus, incertum erit quidnam eorum ille voluerit: et utrumque sentiri voluisse, non inconvenienter creditur, si utrique sententiae certa circumstantia suffragatur. Plerumque enim accidit, ut aliquid de terra, de caelo, de ceteris mundi huius elementis, de motu et conversione vel etiam magnitudine et intervallis siderum, de certis defectibus solis ac lunae, de circuitibus annorum et temporum, de naturis animalium, fruticum, lapidum, atque huiusmodi ceteris, etiam non christianus ita noverit, ut certissima ratione vel experientia teneat. Turpe est autem nimis et perniciosum ac maxime cavendum, ut christianum de his rebus, quasi secundum christianas litteras loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodum dicitur, toto caelo errare conspiciens risum tenere vix possit. Et non tam molestum est, quod errans homo deridetur, sed quod auctores nostri ab eis, qui

foris sunt, talia sensisse creduntur, et cum magno eorum exitio, de quorum salute satagimus, tamquam indocti reprehenduntur atque respuuntur. Cum enim quemdam de numero Christianorum in ea re, quam optime norunt, errare deprehenderint, et vanam sententiam suam de nostris libris asserere: quo pacto illis libris crediturі sunt, de resurrectione mortuorum, et de spe vitae aeternae, regnoque caelorum, quando de his rebus, quas iam experiri, vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putaverunt esse conscriptos? „

THESIS VII.

Iuxta Tridentini declarationem sess. IV., latina vulgata editio Sacrae Scripturae credenda est authentica. Id vero in eo authentiae gradu intelligendum esse videtur, ut in singulis textibus, ad aedificationem doctrinae christianae per se pertinentibus, verbum Dei originale, quoad substantiam dogmatis, sincere in illa exhibeatur.

Dicimus 1. *Iuxta Tridentini declarationem sess. IV.* En verba Concilii. Postquam definivisset quinam libri pro *sacris* et *canonicis* sint suscipiendi, ita pergit. " Omnes itaque intelligant, quo ordine et via ipsa Synodus, post iactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura et quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus, et instaurandis in Ecclesia moribus sit usura. Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat: *statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedica-*

tionibus, et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat. „

Dicimus 2. *latina vulgata editio.* Sermo est in hac thesi, ut patet ex citato decreto Tridentini, de vulgata latina, prout a seculo VII. et deinceps in usu fuit in universa Ecclesia Occidentali loco versionis antiquae seu Italae, quam eadem occidentalis Ecclesia adhibuit sex prioribus seculis. Approbatio igitur Tridentina non cadit in aliquod exemplar aut codicem particularem; nec qui diceret hos aut illos codices fuisse mendosos, quidquam assereret contra decretum Concilii, modo affirmet huiusmodi menda, secundum extensionem authentiae in dicto decreto propositae, non fuisse ex antiquissimis temporibus, et universales aut fere universales.

Dicimus 3. *credenda est authentica.* Decretum nempe Tridentinum non est mera dispositio disciplinaris, sed doctrinam tradit irrefragabilem. Vulgata autem dicitur authentica *authentia conformitatis* in versione cum originali, eaque *publica* et *iudiciali.*

Dicimus 4. *Id vero in eo authensiae gradu intelligendum esse existimamus, quatenus in singulis textibus...* Plures enim esse possunt gradus in authensia. Horum *summus* consistit in exactissima conformitate cum originali, etiam in minimis quibuscumque: *infimus* vero in conformitate quoad rei summam ita ut scriptum neque ex industria sit depravatum, neque ita sit mendosum ut simpliciter aliud sit documentum a suo originali. Inter haec duo extrema plures alii dantur gradus. Nos cum Card. Franzelin Tridentini mentem explicamus iis verbis quae subiiciuntur in thesi.

Dicimus 5. *ad aedificationem doctrinae christianae per se pertinentibus.* Quod ut intelligatur, observa textus omnes Scripturae originalis esse *dogmaticos*, quatenus omnes sunt Dei verbum, ac proinde obiectum fidei divinae. Aliquod tamen invenitur discrimen in obiecto *materiali.* Nam alii dicuntur *per se dogmatici*, alii *dogmatici per accidens.* Illi continent veritates, quae ratione sui a Deo sunt inspiratae, ut sunt articuli fidei, atque ea quae per se faciunt ad articulorum fidei declarationem. Dogmatici vero per

accidens continent ea, quae non ratione sui, sed *occasione* aliorum inspirantur, cuiusmodi sunt plura adiuncta historica, geographica, pertinentia ad physicam, zoologiam, et alia huiusmodi. Cf. Gen. v. 3.; Ex. xxviii. 17.; xxxii. 28.; Tob. iii. 7. coll. ix. 3.; Ioan. iv. 6. In thesi sermo est de textibus *per se dogmaticis*, quique proinde *ad aedificationem doctrinae christianae per se pertinent.*

Dicimus 6. *verbum Dei originale, quoad substantiam dogmatis, sincere in illa exhibeatur.* Non enim in iis textibus affirmamus perfectissimam Vulgatae conformitatem cum originali etiam in *modo* exprimendi dogma: sufficit quod idem dogma expressum in Vulgata fuerit etiam expressum in Scriptura primitiva, licet forte non cum eadem elegantia aut perspicuitate.

Probatio I. partis. Facilis est, si haec tria ordinatim observentur.

I. Ex iis, quae docuimus in thesi superiori, manifeste apparet *ius*, quod Ecclesiae competit, *dogmatico iudicio* decernendi de authensia alicuius determinatae editionis seu versionis. Nam ad munus interpretandi imprimis pertinet ipsa versio Scripturae originalis, praesertim si scriptum proponi debeat non intelligentibus sermonem primigenium. Atqui probatum est, munus authenticae interpretationis sacrae Scripturae ad Ecclesiam pertinere: et aliunde evidens est, maximam partem fidelium sermonem primigenium eiusdem ignorare. Accedit, quod huiusmodi declaratio utilissima est et moraliter necessaria, cum ipsi heterodoxi versionum multitudinem improbent propter fidei periculum, quod inde habetur.

II. Manifestum est secundo, Ecclesiam *hoc iure reipsa usam fuisse*, respectu Vulgatae, in Concilio Tridentino sess. IV. Declaratio enim authentiae Vulgatae editionis, quam ibi tradit Concilium, dogmatica est ac proinde fidem imponit. Definit enim *veritatem tenendam*, nec solum praecipit *aliquid faciendum vel omittendum*; ut ex ipso contextu decreti satis apparet. Neque obstat, quod haec authentia sit factum et quidem longo tempore post Apostolorum aetatem. Nam facta, quibus in concreto exhibetur ipsa doctrina revelata, sunt eminenter dogmatica,

et ideo eorum iudicium pertinet ad Ecclesiae magisterium. Atqui huiusmodi est authentia Vulgatae editionis, quippe quae nil aliud praestat nisi fideliter exhibere fidelibus ipsum verbum divinum ab Apostolis promulgatum et ab Ecclesia custodiendum et praedicandum.

III. Patet denique *sapienter se gessisse* Patres Tridentinos, cum ex omnibus latinis editionibus, quae tunc temporis circumferebantur, Vulgatam dumtaxat pro authentica declaraverit; nam, ut in ipso decreto dicitur, *longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata erat.* Apposite Pallavicinus (*H. T.* lib. 6. c. 17. n. 5.). " Diiudicare cuinam, vel quibus inter varias interpretationes insit ea corruptionum vacuitas divina oracula depravantium, adeoque nomen legitimae debeatur, munus pariter est illius interpretis, divinorum verborum erroribus immunis a Deo inter homines constituti. Iam vero Ecclesia primo quidem per usum diuturnum, seu docendo, seu concionando, adhibita translatione Vulgatae coepi eam tacite comprobare: postea, quoniam opus erat ut in sententia ferenda de tot rerum capitibus adversus pertinaces haereticos et cavillatores, omnis abstergeretur dubitatio de fundamentis futurarum decisionum, ut recte loquitur Tridentinum Decretum, de quo nunc agimus, voluit, freta ope divinitus promissa Sancti Spiritus sibi adfuturi, legitimam et certam declarare Latinam aliquam sacrarum Litterarum versionem; cum latina locutio sola esset universe cognita cunctis hominibus theologiae peritis, adeoque idoneis ferendo de dogmatis fidei iudicio: cumque id per humanam solertiam peragendum esset, existimavit Concilium, per eam sibi non licere tunc aliam ex interpretationibus comprobare, quam Vulgatam, quippe quae ceteris auctoritate praestabat: et cum eadem a S. Gregorii aetate ad haec usque tempora ab Ecclesia generatim fuisset usurpata, et unanimi consensu adhibita a praeclarissimis eiusdem luminibus Isidoro, Beda, Remigio, Alcuino, Fortunato, Rabbano, Anselmo, Bernardo, Haymone, Riccardo, Hugone Victorino, Petro Cluniacensi, Ruperto abbate, aliisque innumeris Doctoribus; ad supremam Dei providentiam pertinebat, illam immunem erroribus in re-

bus fidei morumque praestare, quo pariter immunem servaret Ecclesiam, illius usuram auctoritate. Animadvertit enim Synodus, ubi huiusmodi ratio non sufficeret, frustra futuram omnem operam quae de novo collocaretur, ad eiusdem dubitationis incommodum evitandum: posita praesertim apud homines tam tenui atque incerta notitia sermonis Hebraici, tum punctorum defectu, qui creditur in originariis exemplaribus fuisse, adeoque penuria notarum, per quas vitaretur crebra ambiguitas ac dubitatio, utrum haec an illa vocalis esset apponenda; quae vocales bases dictionum sunt, adeoque sententiarum: posita item characterum Hebraicorum similitudine, quae pariter origo est significationis ancipitis, depravationisque in longissima exemplarium serie, aliorum ex aliis exscriptorum, ut iam ponderavimus. „

Probatio II. partis. Eam non petimus ex eo, quod vulgata editio declarata sit *authentica* in Tridentini decreto, sed *ex fine et contextu eiusdem.* Scopus enim Concilii in authentia Vulgatae declaranda fuit, praebere normam securam ad hoc ut ex divinis fontibus tuto depromi possent testimonia, tamquam divina, ad confirmanda dogmata et instaurandos in Ecclesia mores. Patet inspicienti tenorem verborum Concilii, nec non ex historia eiusdem, prout eam enarrat Pallavicinus l. nuper cit. Iam vero non satis huic fini provisum fuisset, nisi Vulgata latina editio tanquam authentica suscipienda esset in omnibus et singulis textibus, qui *testimonia continent et praesidia idonea ad confirmanda dogmata et instaurandos in Ecclesia mores.* Eiusmodi autem plane sunt textus *per se* dogmatici, qui videlicet per se pertinent ad aedificationem doctrinae christianae. Ergo, attento tenore et fine definitionis Tridentini, hi omnes et singuli textus debent haberi ut inspirati, h. e. conformes cum verbo divino Scripturae inspiratae.

Neque obstat, si quis dixerit Concilium hoc suo decreto voluisse dumtaxat condemnare haereticos, qui a libris canonicis resecabant nonnullas partes dictas deuterocanonicas, ex. gr. lib. Esther et Danielis. Id enim manifeste repugnat tum universalitati verborum definitionis,

tum quia scopus praecipuus Concilii ab eodem indicatus erat suppeditare, ut diximus, testimonia et praesidia divina ad confirmanda dogmata et instaurandos in Ecclesia mores. Praeterea habendum est prae oculis, quod sapienter monet Card. Franzelin (*De Script. divin.* th. 19. n. 2.). " Maxime, ait, in hoc tenendum est principium certum et evidens. Quod error contra unam veritatem particularem praebet *occasionem* definitioni universaliori, in qua proinde etiam ille error, sed non solus damnatus reperitur; non ideo propositionem universaliorem definitionis restringere fas est ad solam damnationem illius erroris particularis. Quod Dominus Ioan. xx. 21. propositionem universalem: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, adhibet ubi subiungit et confert Apostolis potestatem specialem; *quorum remiseritis peccata....* (Cf. Matth. xxviii. 18....); non propterea missio Apostolorum restringitur ad unum hoc munus remittendi peccata. Pariter si occasione negantium valorem sacramenti ab apostatis aut traditoribus sacrorum codicum administrati definitur valor sacramenti collati extra Ecclesiam Catholicam; non ideo definitio solum errorem attingit eum specialem, cuius occasione prolata est. Sic ergo licet concederetur, negationem partium Esth. et Dan. fuisse occasionem et moventem rationem decreti Tridentini, non propterea restrictio admitti posset, quam significatio et contextus verborum respuit. „

Corollaria. Ex tradita explicatione haec legitime colliguntur.

I. Decretum Tridentinum nihil detrahit de authentia exemplarium linguae primigeniae, tum *intrinseca*, tum etiam *extrinseca*, quae ex usu in Ecclesia olim probato iis conciliari potest. Patet ex verbis Decreti: *Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat...* Quapropter licet confugere ad fontes hebraeos, et graecos, quando in nostris codicibus videtur esse error librariorum. Item quando latini codices ita variant, ut non possit statui, quaenam sit genuina Vulgatae lectio, vel si verba aut sententia in latino est

anceps. Postremo ad proprietatem et energiam vocabulorum melius intelligendam. Ceterum notandum est, non eamdem vigilantiam Romanae Ecclesiae, et ex multis iam seculis non eumdem publicum usum ad textum graecum, multoque minus ad textum hebraicum referri, sicut ad versionem et editionem latinam, neque utriusque eumdem esse modum declarationis ecclesiasticae, per quam ipsa authentia huiusque gradus et extensio nobis manifestatur. Hinc Vulgatae lectio generaliter certior est *quoad nos.*

II. Tridentina Synodus non ita declaravit Vulgatam esse authenticam, ut nullos omnino contineret errores, neque in minimis quae per se ad doctrinam fidei et morum non spectant. Nequit enim id colligi neque ex eo quod eam declaravit simpliciter authenticam, neque etiam ex modo declarationis. Non primum, quia non quilibet error quantumvis minimus et accidentalis prohibet quominus versio ut sincera et authentica habeatur: non secundum, quia ex toto contextu decreti apparet mentem Tridentini in eo condendo respexisse ad ea quae ad aedificationem doctrinae christianae per se conferunt. Confer Pallavicinum (*H. T.* lib. 6. c. 17. n. 9, 10.).

III. Vulgatae versionis lectio secundum *editionem Clementinam* servanda est. Patet tum ex auctoritate, tum ex summa diligentia, qua haec correctio et editio est instituta. Vide *Praefationem ad lectorem*, ac *Decretum* Clementis VIII. huic editioni praefixa. Duo tamen observa Primo: Clementina haec editio se habet ad Sixtinam, quae antea Romae fuit excusa, sicut *magis perfectum ad minus perfectum.* Clemens enim VIII. absolvit correctionem, quam Sixtus V. magna ex parte iam perfecerat; neque hic promisit editionem omnino emendatam, sed prout optime fieri poterat. Nullum tamen mendum in Sixtina editione detectum fuit, quod dogma aliquod moresque respiciebat. Cf. Perrone (*Prael. theol. De sacra Script.* c. 4. prop. 1. n. 270...). Secundo: Clementina editio, licet optime iuxta regulas sanae critices emendata, non proponitur tamen ab Ecclesia fidelibus ut omnibus numeris absoluta. Fatetur hoc auctor cit. *Praefationis*

Bibliorum sub Clemente VIII. Scripturae sacrae praefixae. Nihil proinde prohibet, quominus emendatior editio, legitimae auctoritatis iussu, aliquando prodeat.

THESIS VIII.

Lectio Scripturae sacrae, licet per se sancta sit ac maximopere utilis, non tamen est omnibus ad salutem necessaria: neque etiam desunt rationes iustae et prudentes, cur passim sine discrimine non permittatur.

Adverte I. Protestantes consequenter ad eorumdem fundamentale principium, quod, *praeter Scripturam sacram privato spiritu interpretandam, nulla alia existit fidei nostrae regula*, Scripturae lectionem non modo ut utilem, sed ut plane cuique necessariam ad fidem concipiendam, statuere debebant, ac reipsa statuerunt. Ut vero id possibile fieret, Scripturam in linguam vernaculam conversam summo studio propagare curarunt. Hinc *Societates Biblicae* nuncupatae. Iansenistae, hac in re etiam, protestantes imitati sunt, ac nominatim Quesnellus in propositionibus in Bulla *Unigenitus* damnatis, praesertim 79, 80, 81, 82, 83, 84. In eumdem errorem impegit Synodus Pistoriensis, ut patet ex prop. 67. a Pio VI. damnata in Const. *Auctorem fidei.*

Adverte II. Ecclesia Catholica e converso, summa in veneratione habens Scripturam, utpote unum ex praecipuis instrumentis, quod Christus ipsi tradidit ad revelationis depositum facilius custodiendum, sed memor vivi et authentici magisterii quo ab eodem Christo Domino instructa est ad rectum usum et interpretationem Scripturae et ad viam salutis gentibus annuntiandam; haec docet. Agnoscit imprimis, ut par est, Scripturae lectionem *in se inspectam*, praecisione facta a particularibus adiunctis seu circumstantiis personarum, finis, seu modi in legendo, sanctam esse ac maximopere utilem. Agnoscit etiam necessi-

tatem huius lectionis pro aliquibus, qui ex officio tenentur ad hoc, sunt praesertim Ecclesiae pastores et sacrae theologiae magistri. Negat tamen, huiusmodi lectionem omnibus indiscriminatim Christi fidelibus vel necessariam esse ad salutem seu praeceptam, vel ita proficuam ut numquam et in nullis circumstantiis tamquam noxia eisdem prohiberi queat. Conformiter ad haec principia in sua disciplina se gessit. Numquam enim Ecclesia aut Romani Pontifices universim prohibuerunt fidelibus Scripturae lectionem, etiam in lingua vernacula, multoque minus huiusmodi versiones, in linguas nempe vernaculas, prohibuerunt, sed diversimode se gesserunt prout temporum, locorum, aut personarum adiuncta, ac fidelium utilitas exigere videbantur. Vide Perrone (*Prael. theol. De Script. sacra*, c. 5. prop. 2.). Iuxta praesentem disciplinam, Bibliorum versiones vulgari lingua conceduntur, si fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus vel ex doctis catholicisque viris. Ita Decr. S. Congr. Indicis, 13 iun. 1757.

Probatur I. pars. Facile constat auctoritate et ratione.

I. Ecclesia imprimis expresse damnavit doctrinam oppositam, ut patet ex censura inflicta prop. Quesnelli et Synodi Pistoriensis paulo ante citatis. Deinde id etiam ostendit eius praxis. Numquam enim Ecclesiae Pastores huiusmodi obligationem declararunt aut imposuerunt, sed contra non semel Bibliorum lectionem in lingua vulgari propter haereticorum abusus aut legentium imperitiam et temeritatem, prohibuerunt. Hinc innumeri fideles sancte vixerunt et vivunt, quibus nullus, aut rarus usus est lectionis Scripturae. Unde Tertullianus (*Praescr.* c. 14). " Fides tua te salvum fecit, non exercitatio Scripturarum. „ Irenaeus (lib. 3. c. 4.). " Si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter

custodientes.... Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum .barbari sunt, quantum autem ad sententiam et consuetudinem et conversationem propter fidem per quam sapientissimi sunt, et placent Deo, conversantes in omni iustitia et castitate et sapientia. „ Augustinus (*Doct. Christ.* lib. 1. c. 39). " Homo fide, spe, et caritate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per haec tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt. „

II. Si Scripturae lectio esset omnibus necessaria ad salutem, talis necessitas haberetur vel *ex natura rei*, vel *ex praecepto aliquo positivo*. Atqui neutrum dici potest. Non quidem *ex natura rei*. Nam quae necessario agenda vel suscipienda sunt ad salutem consequendam, possunt recte agi et suscipi sine Scripturae lectione. Ad hoc enim plane sufficiunt conciones, catecheses, aliaeque institutiones sive voce sive scripto communicatae. Unde Christus Matth. ult. ait: *Euntes docete...* ac Apostolus Rom. x. 17. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*; et speciatim de mulieribus: 1. Cor. xiv. 34, 35. *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* Quod vero desit *praeceptum positivum* huiusmodi obligationem imponens vel inde patet, quod adversarii, licet provocati fuerint ad illud proferendum, hactenus exhibere non potuerint. Quae enim testimonia inducunt ad hoc ostendendum, ac nominatim Deuter. xvii. 19 ; xxx. 10 ; xxxii. 46 ; Ios. i. 8 ; Ioan. v. 39 ; Act. viii. 28 ; xiii. 27 ; Rom. xv. 4 ; 2. Tim. iii, 15. 16 : vel simpliciter laudant et commendant usum legendi Scripturas ut rem per se sanctam ac valde utilem, vel si quod mandatum subindicant, hoc speciale est pro quibusdam determinatis personis, non promiscue pro omnibus.(1) Acce-

(1) Prioribus Ecclesiae seculis Patres frequenter commendabant Scripturae lectionem, non quidem ad adstruendam absolutam necessitatem eiusdem pro omnibus, quod vel ex ipsa raritate exemplarium et versionum tunc temporis existente apparet : sed quia melior dispositio fidelium ad hoc a Patribus supponi poterat, maior praesertim

dit quod, hac obligatione semel posita, inde consequeretur triplex alia obligatio, videlicet vertendi Scripturam in omnia idiomata eorumdemque dialectos; Scripturam emendi vel habendi; litteras denique discendi. Qui enim tenetur ad aliquid, tenetur eadem obligatione ad procuranda media sine quibus suae obligationi satisfacere non potest. Nemo autem, si serio loqui velit, hanc triplicem obligationem omnibus promiscue fidelibus imponere audebit.

Probatur II. pars. Praeter argumentum desumptum ex ipsa *Ecclesiae praxi* in hac parte, ita res ostenditur. Adest ratio prudens et iusta, ne passim sine discrimine permittatur usus rei de se bonae et utilis, si, propter speciales circumstantias, multis evadat inutilis aut noxia. Atqui huiusmodi est sacrae Scripturae lectio, praesertim in lingua vulgari.

I. Imprimis multi inveniuntur, qui incapaces sunt ut per se ipsi eruant legitimum sensum ex Scripturarum lectione, quique aliunde bene instrui possunt circa necessaria aut utilia ad salutem, ex. gr. ex concionibus aliorumque librorum priorum lectione, quae eorumdem captui sit accommodata. Huiusmodi porro hominibus, licet forte prodesse possit faciliores quasdam Scripturarum partes in patrio idiomate legere vel audire, cum debitis explicationibus et adnotationibus, inutiliter profecto eisdem offerretur integrum Bibliorum volumen, licet in vernacula lingua fideliter versum, absque ullis annotationibus ex Patribus catholicisque viris desumptis.

II. Deinde noxia evadere possunt sacra Biblia, si passim sine discrimine permittantur, praesertim in lingua vulgari, tum ex parte legentium, si praeter imperitiam sit in ipsis curiositas, temeritas et superbia; tum ex parte librorum Scripturae, ubi multa occurrunt, quae si rite non intelligantur, periculum creare possunt in fide vel moribus, ut ex historia haeresum patet; tum denique propter peri-

---

docilitas et erga praepositos submissio, et aliunde tanta adhuc non habebatur experientia abusus ex lectione orti. Vide Malou (*Lecture de la S. Bible*, to. 1. c. 6.).

culum adulterationis sacri textus in eiusdem versionibus. Apposite Pius VII. in Litteris ad Archiep. Mohilovien. d. 3. Sept. 1816. " Romana Ecclesia solam Vulgatam editionem ex notissimo Tridentini Concilii praescripto suscipiens, aliarum linguarum versiones respuit, easque tantum permittit, quae cum adnotationibus ex SS. Patrum, et catholicorum Doctorum scriptis opportune depromptis eduntur, ne tantus thesaurus pateat novitatum corruptelis, atque ut Ecclesia toto orbe diffusa sit labii unius et sermonum eorumdem. Sane cum in vernaculo sermone creberrimas animadvertamus vicissitudines, varietates, commutationesque, profecto ex immoderata Biblicarum versionum licentia immutabilitas illa convelleretur, quae divina decet testimonia, et fides ipsa nutaret, cum praesertim ex unius syllabae ratione quandoque de dogmatis veritate disceptatur. In id proinde pravas deterrimasque machinationes conferre in more habuerunt haeretici, ut editis vernaculis Bibliis (de quorum tamen mira varietate ac discrepantia ipsi se invicem accusant et carpunt), suos quique errores sanctiori divini eloquii apparatu obvolutos per insidias obtruderent. *Non enim natae sunt haereses* (inquiebat S. Augustinus), *nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur.* (Tract. 18. *in Ioan.* 1.) Quod si viros pietate et sapientia spectatissimos Scripturarum interpretatione haud raro defecisse dolemus, quid non timendum, si imperito vulgo, qui ut plurimum non delectu aliquo, sed temeritate quadam iudicat, translatae in vulgarem quamque linguam Scripturae libere eidem pervolvendae traderentur? *Ita ne vero?* apposite clamat S. Augustinus: *Nulla imbutus poetica disciplina Terentium sine magistro attingere non auderes... Tu vero in sanctos libros sine duce irruis, et de his sine praeceptore audes ferre sententiam?* (*De utit. cred.* c. 2.) Quare in celebri illa sua ad fideles Ecclesiae Metensis epistola sapienter omnino haec praecipit decessor noster Innocentius III. — Arcana fidei Sacramenta non sunt passim ab omnibus exponenda, cum non passim ab omnibus possint intelligi, sed eis tantum, qui ea fideli possunt concipere intellectu. Propter quod simplicioribus, inquit Apo-

stolus, *quasi parvulis in Christo lac potum dedi vobis non escam.* Maiorum enim est solidus cibus, sicut aliis ipse docebat: *Sapientiam loquimur inter perfectos, inter vos autem nihil iudicavi me scire nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum.* Tanta est enim divinae Scripturae profunditas, ut non solum simplices et illiterati, sed etiam prudentes et docti non plene sufficiant ad illius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit Scriptura: *Quia multi defecerunt scrutantes scrutinio.* Unde recte fuit olim in lege divina statutum, ut bestia quae montem tetigisset lapidaretur, ne videlicet simplex aliquis et indoctus praesumat ad sublimitatem sacrae Scripturae pertingere, vel eam aliis praedicare. Scriptum est enim: *Altiora te ne quaesieris.* Propter quod dicit Apostolus: *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* — „

Corollarium. Iure optimo Romani Pontifices *societates biblicas* nuncupatas iteratis decretis veluti perniciosas et noxias improbarunt. Praeter Pium VII. Ep. cit., nec non Ep. ad Archiep. Gnesnensem die 29 iun. 1816, vide Encyclicam Leonis XII. d. 3. Maii 1824, nec non Pii VIII., d. 24 Maii 1829, et Gregorii XVI., d. 8. Maii 1844.

DE VERBO DEI NON SCRIPTO.

THESIS IX.

Praeter Scripturam sacram, in praesenti ordine divinae providentiae admittere oportet traditiones de fide et moribus apostolico-divinas.

Hanc veritatem his verbis proposuit Tridentina Synodus. " Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus Apostolicae Sedis Legatis, hoc

sibi perpetuo ante oculos proponens, ut, sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur: quod promissum ante per prophetas in Scripturis Sanctis Dominus noster Iesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit; deinde per suos Apostolos, tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae, omni creaturae praedicari iussit: perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, et *sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt*: orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, *nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur*... Si quis autem libros... non susceperit; et *traditiones praedictas sciens et prudens contempserit: A. S.* „

Argumentum I. Ducitur ex *doctrina Scripturarum.* Huc faciunt imprimis ea testimonia quibus edocemur doctrinam evangelicam communicatam fuisse ab Apostolis per sermonem sive scriptum sive non scriptum. Ita Corinthii, antequam Apostolus ad ipsos scriberet, ab eodem acceperunt per viam traditionis, tum Eucharistiae institutionem, tum plura alia ad fidem moresque pertinentia, ut idem Apostolus narrat 1. Cor. xi. 2, 23, 24. Sic etiam Ioannes in sua 2. Ep. 12. fatetur: *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum: spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui: ut gaudium vestrum plenum sit.* Idem etiam conficitur ex Act. i. 3. *Quibus* (Apostolis) *praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.* Paucissima enim eorum, quae Christus post resurrectionem dixit et gessit, relata sunt in Evangelio: non est autem credibile Apostolos ea non communicasse fidelibus.

Deinde habemus ea Scripturarum testimonia, in quibus traditio divino-apostolica exhibetur tamquam medium

divinitus ordinatum ad doctrinam evangelicam gentibus praedicandam. Speciatim id ostenditur ex duplici testimonio. Alterum habetur 2. Thess. II. 14. *Itaque, fratres, state; et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem sive per epistolam nostram.* Tum ex antecedentibus et consequentibus huius epistolae, tum ex priori ep. ad eosdem, manifestum est hic non agi dumtaxat de traditione *mere disciplinari*, sed praesertim de *dogmaticis* ad fidem moresque pertinentibus, iisque *divinis*, iuxta illud 1. Thess. II. 13. *Gratias agimus, quia cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis.* Hinc Basilius (*De Spiritu Sancto*, c. 29.) " Arbitror Apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhaerere. Laudo, inquit, vos, quod omnia mea meministis et quemadmodum tradidi vobis, traditiones continetis. Et tenete traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam. „ Alterum testimonium in hac re vere classicum est 2. Tim. I. 12-14; II. 1, 2, 15, 16. *Ob quam causam etiam haec patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi et certus sum, quia potens est depositum meum* (1) (παραθήκην μου) *servare in illum diem. Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide et dilectione in Christo Iesu. Bonum depositum* (παραθήκην) *custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis... Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Iesu : et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere... Solicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis : profana autem et vaniloquia devita.* In hoc testimonio manifeste sermo est de doctrina fidei ac disciplina morum custodienda, a Deo in manus Apostolorum, et ab Apostolis

(1) Duplex est praecipua interpretatio huius vocis. Alii intelligunt de thesauro laborum et passionum, quas Apostolus pro Evangelii praedicatione subivit: alii vero de doctrina Religionis, quam Christus Apostolo commendaverat, tamquam depositum, et quam idem Apostolus hoc eodem loco, tamquam depositum, commendat Timotheo. Cf. 1. Tim. VI. 20, 21.

in manus Episcoporum, veluti depositum, commissa. Atqui *medium* trasmissionis, de quo hic unice fit mentio, est *viva praedicatio*, cui correlativa est *auditio*, et id proprie significat vox *docere*, praesertim cum *eodem modo* dicatur haec doctrina esse a Timotheo et aliis fidelibus hominibus praedicanda, ac fuit primo a Paulo accepta. *Auxilium* denique, quod hic Apostolus perhibet a Deo datum ad fidelem huius depositi custodiam et transmissionem usque in diem iudicii, nullum aliud est nisi *Spiritus Sanctus inhabitans.*

Argumentum II. Sumitur ex *doctrina Patrum.* Patet ex ipsa praxi eorumdem, cum ad vivam Ecclesiae traditionem appellant sive pro dogmate de extantia et numero librorum canonicorum, uti Serapion et Origenes apud Eusebium (H. E. lib. 6. c. 12, 25.); sive pro sensu librorum canonicorum, uti Clemens Alexandrinus (*Strom.* lib. 7.); sive pro dogmate de SS. Trinitate, uti Athanasius passim contra Arianos, ac Epiphanius (*Haer.* 69.); sive pro dogmate de Baptismate parvulorum aut ab haereticis collato, uti Augustinus pluries, et Stephanus Papa in controversia cum Cypriano; sive pro dogmate de SS. Imaginibus et Reliquiis, uti Conc. generale VII et VIII; sive pro multis aliis doctrinis sive dogmaticis sive moralibus conglobatis; uti Basilius (*De Spir. Sancto*, c. 27.), Tertullianus (*De corona*, c. 3, 4.). Cf. Kilber (*Princ. theol.* n. 72.).

Idem etiam conficitur ex illis testimoniis veterum Patrum, quibus hanc veritatem, tamquam principium quoddam totius oeconomiae Christianae, enuntiant. E multis, quae afferri possent, quaeque videri possunt apud Murray (*Tract. de Ecclesia Christi*, to. 2. Disp. 12. n. 61. seqq.), duo seligimus. (1)

Irenaeus (lib. 3. c. 1, 4.). " Cum enim ex Scripturis

---

(1) Hoc argumentum legitime adhibetur contra protestantes. Nam, etiam praescindendo a vi *dogmatica*, quam habet communis consensio Patrum in doctrina fidei et morum, *historice* sic ostenditur, quid in re praesenti senserit Ecclesia aetati Apostolicae vicinior, quaeque optime cognoscere poterat quid Christus et Apostoli docuerint.

arguuntur (Valentiniani), in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, et quia varie sint dictae, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his qui nesciunt Traditionem... Cum autem ad eam iterum *Traditionem, quae est ab Apostolis, quae per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur*, provocamus eos; adversantur Traditioni dicentes, se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem..... Evenit iam neque Scripturis, neque Traditioni eos consentire... *Traditionem itaque Apostolorum, in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere*, omnibus qui velint vera videre: et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cogitaverunt, quale ab his deliratur... Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romanae fundatae Ecclesiae, *eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos iudicantes, confundimus omnes eos, qui quoque modo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per caecitatem et malam sententiam, praeter quam oportet, colligunt.* Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, *in qua semper ab his qui, sunt undique conservata est ea quae est ab Apostolis Traditio.* „ Deinde recensitis Romanis Pontificibus usque ad Eleuterium tunc regnantem, simile argumentum urget ex Traditione successorum Apostolorum in Asia, ac dein sic prosequitur. " Tantae igitur ostensiones cum sint, non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; *cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis, ut omnis quicumque velit sumat ex ea potum vitae.* Haec est enim vitae introitus; omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet devitare quidem illos; *quae autem sunt*

Ecclesiae cum summa diligentia diligere (h. e. deligere), *et apprehendere veritatis traditionem.* Quid enim? Et si de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas *recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere quod certum et re liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus tradiderunt Ecclesias?* Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et *veterem traditionem diligenter custodientes*; in unum Deum credentes fabricatorem caeli et terrae, et omnium quae in eis sunt per Iesum Christum Dei Filium: qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam quae esset ex Virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo, et passus sub Pontio Pilato, et resurgens, et in claritate receptus, in gloria venturus Salvator eorum qui salvantur, et iudex eorum qui iudicantur, et mittens in ignem aeternum transfiguratores veritatis et contemptores Patris sui et adventus eius. Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt; quantum autem ad sententiam, et consuetudinem, et conversationem, propter fidem per quam sapientissimi sunt et placent Deo, conversantes in omni iustitia, et castitate, et sapientia. Quibus si aliquis annuntiaverit ea, quae ab haereticis adinventa sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam *veterem Apostolorum traditionem*, ne in conceptionem quidem mentis admittunt quodcumque eorum portentiloquium est. „

Tertullianus tradens compendiosiorem viam, ut discamus quae Christus et Apostoli docuerunt, et haeretici coarguantur, sic loquitur (*Praescr.* c. 20, 21.) " Christus Iesus Dominus noster... duodecim praecipuos lateri suo adlegerat destinatos nationibus magistros. Itaque, uno eorum decusso, reliquos undecim, digrediens ad Patrem

post resurrectionem, iussit ire et docere nationes, intinguendas in Patrem, et in Filium, et in Spiritum Sanctum. Statim igitur Apostoli (quos haec appellatio *missos* interpretatur), assumpto per sortem duodecimo Matthia in locum Iudae..., consecuti promissam vim Spiritus Sancti ad virtutes et eloquium, primo per Iudaeam contestata fide in Iesum Christum et Ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eamdem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, *a quibus traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde Ecclesiae mutuatae sunt et quotidie mutuantur ut Ecclesiae fiant, ac per hoc et ipsae apostolicae deputantur, ut soboles apostolicarum Ecclesiarum.* Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantae Ecclesiae una est illa ab Apostolis prima ex qua omnes. Sic omnes primo et apostolicae, dum una omnes probant unitatem; dum et illis communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis: quae iura non alia ratio regit, quam eiusdem sacramenti (h. e. eiusdem fidei) una traditio. Hinc igitur dirigimus praescriptionem: si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos praedicatores, quam Christus instituit; quia nec alius Patrem novit nisi Filius et cui Filius revelavit, nec aliis videtur revelasse Filius, quam Apostolis quos misit ad praedicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem praedicaverint, id est, quid illis Christus revelavit, et hic praescribam *non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando, tam viva, quod aiunt, voce, quam epistolis postea.* Si haec ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis apostolicis, matricibus, et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenendam quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus e Deo accepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praeiudicandam; quae sapiat contra veritatem Ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei. Superest ergo uti demonstremus, an haec nostra doctrina, cuius regulam supra edidimus (h. e. Symboli Apostolici), de

Apostolorum traditione censeatur, et hoc ipso, an ceterae de mendacio veniant. *Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulli doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis.* „ Hinc paulo inferius c. 37. ita energice haereticos exagitat. " Si haec ita se habent, ut veritas nobis adiudicetur, quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit (al. accepit), constat ratio propositi nostri, definientis *non esse admittendos haereticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere.* Si enim haeretici sunt, christiani esse non possunt, non a Christo habendo quod de sua electione sectati haereticorum nomine admittunt. Ita non christiani nullum ius capiunt christianarum litterarum. Ad quos merito dicendum est. Qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique, Marcion, iure sylvam meam caedis? qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoves? quid hic ceteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio; olim possideo; habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum haeres Apostolorum. „

Argumentum III. Tandem res plene conficitur argumento praescriptionis. Nam ex tota historia divinae revelationis a mundi initio usque ad protestanticam innovationem, constat populum Dei per viam traditionis edoctum fuisse circa veritates pertinentes ad salutem. Ergo vel dicendum est solis protestantibus coepisse innotescere genuinum organum divinae revelationis, vel Deus seculo XVI. immutavit ordinem suae providentiae circa hominum salutem constanter servatum in omnibus anteactis seculis, vel denique protestantismi innovatio de mendacio praeiudicanda est. Nemo autem sanae mentis affirmabit primum aut alterum membrum, vel si affirmare voluerit, necesse est in medium afferat argumenta evidentissima, quod profecto incassum tentabit. Probatur itaque antecedens assumptum.

I. *Sub lege naturae* fideles, sine Scriptura, de revelatione edocebantur, tum ministerio ordinario per succes-

sionem Patriarcharum, tum extraordinario per concessionem Spiritus prophetici. Hinc Gen. xviii. 19. *Scio*, ait Dominus de Abraham, *quod praecepturus sit filiis suis et domui suae post se, ut custodiant viam Domini et faciant iudicium et iustitiam.* Moyses vero de temporibus antiquis inde a divisione populorum ait, Deut. xxxii. 7, 8. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, maiores tuos et dicent tibi; quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel.* Idem modus traditionis exhibetur extra familiam Abrahami, Iob. viii. 8, 10. ubi Baldad Suhites ait. *Interroga generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam...; et ipsi docebunt te, loquentur tibi et de corde suo proferent eloquia.* Cf. etiam Gen. iv. 26, coll. c. v. nec non 2. Pet. ii. 5.

II. *Sub lege scripta* doctrina revelationis servabatur et propagabatur tum ministerio prophetarum, qui non omnes fuere scriptores, tum per Sacerdotium a Deo institutum, prout expresse cavetur Deuter. xvii. 8, 12. Unde illud Malach. ii. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Cf. Ps. xliii. 2; lxxvii. 5; Eccli. viii. 9, 12. Insuper, praeter Iudaeos, quibus solis consignatae fuere Scripturae, multi alii pertinebant tunc ad Ecclesiam Dei, ut probat Augustinus (*De pecc. orig.* c. 27. *De praed. SS.* c. 9. *De Civ.* xviii, 47.).

III. *Sub lege* denique *Evangelica* id imprimis evidens est de tempore Christi et Apostolorum, quando Ecclesia fundata est. Haec enim fundatio peracta est antequam Evangelia et Litterae Apostolicae fuerint scriptis exarata. Deinde idem habemus de prioribus Ecclesiae saeculis usque ad mediam aetatem, quemadmodum ex adductis testimoniis Patrum luculenter apparet. Quod attinet denique ad mediam aetatem, protestantes ipsi fatentur, tunc temporis fere unice per viam traditionis quae ad religionem pertinent fuisse peracta, atque inde repetunt praecipuam causam errorum, qui, ipsorum iudicio, in Ecclesiam irrepserunt.

Confirmantur tandem ea, quae diximus, ex ipso dictamine rectae rationis. Mos enim cuiuslibet societatis bene constitutae est, ut magna ex parte legibus non scriptis regatur. Et hoc praecipue valere debet in Ecclesia, tum propter specialem familiaritatem cum suo sponso Christo Domino, ac promissiones ei factas; tum propter specialem conditionem legis gratiae, quae non tam scripta est in tabulis lapideis quam in cordibus fidelium; tum propter dignitatem mysteriorum multorum, quae, ut Basilius observat (*De Sp. S.* c. 27.), silentium requirunt, nec decet ut Scripturis, quae in toto mundo leguntur, explicentur. Accedit praeterea *rei necessitas.* Nam multa sunt, quorum explicita notitia tradenda fuit ab Apostolis, utpote pertinentia ad ipsos fidei articulos, electionem agendorum et rationem suscipiendorum, quaeque ex alia parte vel nullo modo vel saltem non clare in Scripturis continentur. Denique idem elucet considerando morem agendi haereticorum omnium aetatum. Videatur eorum catalogus apud Bellarminum, qui ad suos errores stabiliendos traditionem repudiarunt sub Scripturae praetextu (*De Verbo Dei*, lib. 4. c. 8.): unde idem Bellarminus sic ibidem concludit. " Ab his ergo quasi per manus acceperunt Luterani dogma suum de Traditionibus contemnendis; ut nos a sanctis Patribus nostrum didicimus, de iisdem cum omni honore recipiendis. „

THESIS X.

Existunt traditiones apostolico-divinae, non solum inhaesivae aut declarativae, verum etiam mere orales.

Quid nomine traditionis *inhaesivae* aut *declarativae*, quid vero nomine traditionis *mere oralis* intelligatur, in Introductione exposuimus § 5. Qua declaratione posita, en summa probationis quam de hac veritate catholici adhibemus adversus protestantes. Doctrina de canone Scripturarum quam in th. IV. vindicavimus, est dogma divi-

nitus revelatum: ergo vel huius veritatis revelatio, obscure saltem, continetur in Scripturis, vel necessario admittere oportet, praeter Scripturam, traditionem etiam *mere oralem* tamquam organum divinae revelationis in praesenti oeconomia divinae providentiae. Atqui huius veritatis revelatio ne obscure quidem continetur in Scripturis: ergo praeter Scripturam, in praesenti ordine divinae providentiae admittendae sunt traditiones etiam *divinae mere orales*. Antecedens demonstratum fuit in dicta prop. IV. Prima et altera consequentia notae sunt. Probanda est dumtaxat minor subsumpta. Id vero dupliciter conficiemus.

Argumentum I. Comprobatur *directa rei ostensione*, et primo quidem quoad T. V., deinde quoad T. N.

I. Testimonium Scripturae, quod huc referri potest, continetur iis locis in quibus Christus et Apostoli appellant ad libros V. T. tamquam ad Scripturae libros: atqui etiamsi haec loca simul sumantur, non continetur in illis revelatio, quam quaerimus. Non quidem *expresse*, quippe non omnes libri, etiam primi ordinis citantur, ex. gr. Iud., Eccle., Esth., 1. et 2. Esd. Nec etiam *implicite*: nam ex praedictis citationibus solummodo potest constare de inspiratione totius collectionis librorum, qui tunc temporis a Iudaeis agnoscebantur tamquam pertinentes ad Scripturam, qui profecto non sunt omnes, qui in canone V. T. continentur ab Apostolis Ecclesiae tradito, ut manifestum est ex testificatione Iosephi quem citavimus p. 21. not., et ex tota controversia quae inde potissimum intra Ecclesiae fines exorta fuit quoad libros deutero-canonicos V. T.

II. Quoad libros vero N. T. tria loca ad summum afferri queunt ex Scripturis, quae ad rem faciant, videlicet 1. Tim. v. 18; 2. Tim. iii. 15, 16; 2. Pet. iii. 16. Atqui in his locis non continetur revelatio inspirationis *omnium* librorum N. T. ac proinde nec eorumdem canonis. Nam 1^{um} testimonium ad summum connumeraret inter Scripturas Evangelium Lucae, ubi occurrunt verba quae ab Apostolo citantur: *Dignus est operarius mercede sua*. Non 2^{um} testimonium. Nam quod habetur in vers. 15. evidenter refertur ad V. T., quod solummodo discere poterat

Timotheus *in sua infantia*; elogium vero, quod perhibet vers. 16., enuntiat utique absolute inspirationem Scripturae, sed nullatenus determinat libros, qui tamquam Scriptura sacra haberi debent, cum praesertim non omnes Scripturae libri tunc temporis, cum haec scribebat Apostolus, essent adhuc exarati, ex. gr. Evangelium Ioannis. Non 3^{um} denique testimonium cogit tum propter rationem nuper indicatam; tum quia haec epistola est una ex illis quas protestantes e censu Scripturarum reiiciunt putantes non esse genuinam; tum quia hoc testimonio non annumerantur inter Scripturas, nisi solae epistolae Pauli, eaeque fortasse non omnes.

Argumentum II. Est indirectum ex contradictione quae inest in affirmatione protestantica. Nam professio fundamentalis protestanticae fidei haec est, ut Scriptura (ad quam revocant saltem libros proto-canonicos) constituat regulam adaequatam credendorum; ex quo, praeter alia, inferunt nullum esse verbum divinum non scriptum fide credendum. Atqui haec affirmatio duplicem continet contradictionem.

I. Prima contradictio haec est. Si Scriptura est adaequata regula credendorum, ergo in ea debet hoc ipsum contineri, quod videlicet sit huiuscemodi regula. Iam si ita res habet nec velint protestantes secum ipsi committi, testimonium aliquod Scripturae proferre debent, in quo id *clare* enuntietur: *clare*, inquam, quippe agitur de re habenda loco axiomatis et quidem in negotio gravissimo. Atqui testimonium huiusmodi desideratur. Nec valet confugere ad spiritum privatum. Instaurabimus enim argumentum contra huiusmodi spiritum, et iterum exquiremus testimonium aliquod Scripturae, in quo clare contineatur dogma de huius spiritus existentia. Ergo protestantes, dum profitentur se *uni Scripturae* credere, aliquid aliud praeter Scripturam fundamenti loco credendo admittunt.

II. Altera contradictio haec est. Si Scriptura constituit adaequatam regulam credendorum, profecto eius existentia (prout saltem continet libros a protestantibus retentos), haec existentia, inquam, habetur ab ipsis tamquam revelata. Iam sciscitamur, undenam revelationem

huiusmodi hauserunt? Nequit profecto huic interrogationi, nisi duplex responsio subiici, videlicet dicendo hanc revelationem haberi vel ex Scriptura ipsa, vel ex testimonio *historico* fidei antecedentium aetatum ; negant enim aperte authenticum Ecclesiae magisterium. Atqui neutra responsio subsistere potest.

Non prima, quia nullibi in Scripturis invenitur, neque expresse, neque etiam aequivalenter, determinatus canon quem protestantes retinuerunt. Nec valet confugere ad characteres Scripturae *intrinsecos*, aut ad *genuinitatem* librorum: illud enim non sufficit, uti ostensum est supra prop. 1. not. 1.; hoc vero etiam est insufficiens, quippe aliud omnino est scriptum esse genuinum, aliud vero esse divinum, cum praesertim inter ipsos Evangelistas duo inveniantur, qui nec Prophetae (sensu nempe specifico), nec Apostoli erant. Ergo confugere oportet ad alteram responsionem, videlicet ad testimonium *historicum* fidei praecedentium aetatum.

Sed nec etiam haec responsio subsistit. Huiusmodi enim testimonium dupliciter adhuc sumi potest. Primum, prout solum refert fidem praecedentium aetatum, ita tamen ut *ex Scripturis debeat deinde diiudicari et aestimari*, utrum haec fides in revelatione fundetur nec ne. Secundo, quatenus conservat et manifestat *vivam praedicationem* Apostolicam in hoc puncto, traditionem nempe Apostolico-divinam. Iam vero primum non sufficit: ad hoc enim requireretur, ut ipsa Scriptura sufficeret ad iudicandum de hoc canone, quod nuper iam est exclusum. Relinquitur ergo, ut huiusmodi testimonium historicum ideo valeat, quia conservat et manifestat traditionem apostolico-divinam. Ergo rursus protestantes, dum fatentur se uni Scripturae credere, aliquod aliud divinum verbum necessario credunt.

Scholion I. Quod habetur Deuter. iv. 2; xii. 32; Apoc. xxii. 18, 19. inepte hic opponitur. In priori enim unice prohibetur, ne lex divina a Moyse tradita violetur durante oeconomia eiusdem, eique praecepta humana addantur tamquam divina. In altero unice prohibetur Apocalypsis corruptio. Similiter quod dicit Apostolus Gal. i. 8. huc

spectat, ne doctrina obtrudatur quae vel in minimo adulteret et corrumpat praedicationem Apostolicam. Traditiones denique, quae damnantur MATTH. XV. 6, 9, et COLOSS. II. 8. sunt traditiones mere humanae, et quidem verbo Dei contrariae, vel perniciosae aut saltem inutiles, cuiusmodi erant instituta pharisaica, de quibus loquitur Christus, et corruptelae philosophorum ac superstitiosae gentilium observationes, de quibus loquitur Apostolus.

Scholion II. Quandoque Patres ad Scripturam provocant cum exclusione alterius auctoritatis, non quidem *absolute*, sed *relative* ad fontes apocryphos haereticorum, vel ad humanas inventiones et sophisticas argumentationes. Cum vero dicunt, Scripturam esse *sufficientem* regulam credendorum, id intelligunt dupliciter. Primo, respective ad quasdam particulares veritates oppugnatas ab haereticis contra quos decertabant, vel etiam relate ad praecipua puncta doctrinae revelatae quae credenda sunt explicite ab omnibus. Hoc posteriori sensu dixit Augustinus (2. *Doctr. christ.* 9.). *In iis, quae aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia quae continent fidem moresque vivendi; spem scilicet atque charitatem, de quibus libro superiore tractavimus.* Secundo, quatenus in Scripturis manifeste edocemur de authentico magisterio Ecclesiae a Christo instituto, et sic *mediate* edocemur de omnibus veritatibus quae per hoc magisterium nobis credendae proponuntur.

THESIS XI.

Efficacia existunt praesidia quibus sacra traditio tuto conservetur et posteris transmittatur.

Hanc thesim et proxime sequentem ponimus ad solvendam difficultatem, qua novatores potissimum moventur ad sacram ac divinam traditionem repudiandam. Non multum enim insistunt in quaestione *de iure*. Nam, ut monet Canus (*De locis theol.* lib. 3. c. 1.), plerique eorum non adeo stupidi sunt, ut verba Christi et Apostolorum,

modo eorum esse constet, infirmare audeant. Eatenus proinde contemnunt traditiones, quas tamquam divino-apostolicas Catholici veneramur, quia autumant. vel deesse praesidia, quibus verbum divinum, in Scripturis sanctis non consignatum, tuto conservetur et posteris transmittatur; vel certe deesse criterium ullum seu regulam certam, qua huiusmodi verbum a Deo traditum cognoscatur et ab humano discernatur. Utrique exceptioni occurrimus, priori in hac thesi, alteri in thesi proxime sequenti. Iam vero quod spectat adminicula sacrae traditionis conservandae, res facile ostenditur partim a priori, partim a posteriori.

Argumentum I. Ducitur a priori ex *speciali Dei providentia*. Si enim Deus, ut arguit Christus Matth. vi. 26., curam habet de volatilibus caeli et liliis agri, eisque media opportuna providet ut propriam perfectionem obtineant, quanto magis id praestabit quoad humani generis salutem? Unde illud Apostoli, 1. Tim. ii. 4. *Qui* (Deus) *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*. Primum autem ac necessarium medium salutis est fides, quae propterea vocatur a Conc. Vaticano Const. *Dei Filius*, c. 3., *humanae salutis initium*; obiectum vero fidei est verbum Dei. Hinc ad divinam providentiam imprimis pertinet, ut verbum suum provideat de mediis necessariis ne pereat, sed usque ad mundi finem conservetur. Cum itaque constans oeconomia eiusdem divinae providentiae hoc habeat, quemadmodum ex praecedentibus liquet, ut per Traditionem potius quam per Scripturam hominibus communicetur, necessario consequitur ita Deum omnia apte disposuisse ut doctrina a Deo tradita illibate conservetur. Apposite Bellarminus (*De verbo Dei*, lib. 4. c. 12.). " Respondeo, non solum non esse impossibile traditiones conservari, sed etiam esse impossibile non conservari. Nam cura ista non incumbit praecipue hominibus, sed Deo qui Ecclesiam regit. Sicut ergo Deus conservavit veram Ecclesiam usque ad hanc diem contra tot persecutiones imperatorum, philosophorum, iudaeorum, et sicut potuit conservare traditiones ab Adam usque ad Mosen per duo annorum millia; et deinde Scripturas a Mose usque ad hoc tempus per

tria millia annorum et amplius: ita potuit sine dubio conservare traditiones a Christo usque ad nos. „

Argumentum II. Quod in proxima probatione a priori demonstravimus, amplissimam confirmationem habet, si speciatim perpendantur quae praesidia reipsa habeamus ad sacram traditionem sine corruptionis periculo conservandum. Quae quidem praesidia haec sunt potissima.

I. **Apostolica successio in ministerio.** Hoc nomine intelligitur legitima ac indisrupta personarum in locum Apostolorum suffectio ad regendam et pascendam Ecclesiam Dei, in communione et sub primatu legitimi successoris principis Apostolorum B. Petri. Quanti valeat huiuscemodi successio ad sacrae traditionis depositum fideliter custodiendum, manifeste patet, sive *theologice*, sive *philosophice* res consideretur.

Theologice quidem, quia, ut pluries diximus, et ex tota Evangelica historia edocemur, Christus Dominus caelestis suae doctrinae thesaurum in manibus Apostolorum deposuit; ipsisque mandavit, ut omnes sive convertendas sive ad fidem conversas gentes docerent, ac propterea pollicitus est se eis in hoc ministerio usque ad seculi finem affuturum. Qui propterea Apostolis legitime succedunt ad regendam et pascendam Ecclesiam Dei in communione et sub primatu Apostolorum Principis eiusque successorum, eo ipso a Deo constituuntur depositarii et authentici testes Evangelicae et Apostolicae doctrinae quae ex mandato Christi praedicanda sit gentibus usque ad consummationem seculi. " Eis, qui in Ecclesia sunt, ait Irenaeus (lib. 4. c. 26.), presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis... qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt. „ Huc maxime pertinet locus Apostoli, Ephes. iv, 11. 14. *Ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores* (1), *ad consummationem sanctorum in*

(1) Per haec verba, h. e. *pastores et doctores*, non designat Apostolus diversos gradus ecclesiasticos, ut maxime patet ex textu graeco, sed quos vocat *pastores*, nempe Episcopos, eosdem appellat *et doctores*,

opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi: ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Hoc loco perspicue Apostolus tum perenne Ecclesiae magisterium designat, quod durabit *donec occurramus omnes in unitatem fidei*, h. e. usque ad seculum venturum; tum eiusdem magisterii certum veritatis charisma ostendit, cum ideo sit a Christo institutum ne decipiamur *per circumventionem erroris*. Cf. cetera testimonia quae indicavimus supra (pag. 70.), nec non egregiam argumentationem Irenaei et Tertulliani, quam in 1ª parte prop. praecedentis exscripsimus.

Philosophice vero, seu potius *historice* rem considerando, notandum est, cum, Apostolis paulatim defunctis, Ecclesiae ab ipsis constitutae transierunt in successiones sequentes, eas minime ita sibi succedere, ut

---

iuxta illud Hier. III, 15. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.* S. Thomas ita praeclare commentatur in hanc Pauli enumerationem. " Apostoli primo loco ponuntur, quia ipsi privilegiati fuerunt in omnibus donis Christi. Habuerunt enim plenitudinem gratiae et sapientiae quantum ad revelationem divinorum mysteriorum, Luc. XXIV, 45; Marc. IV. 11; Ioan. XV. 15: habuerunt etiam copiam eloquentiae ad annuntiandum Evangelium, Luc. XXI. 15; Marc. XVI. 15: habuerunt etiam praerogativam auctoritatis et potentiae quantum ad curam dominici gregis, Ioan. XXI. 17; 2. Cor. X. 8. Ideo Apostolus subiungit hic tres gradus ecclesiasticos, secundum participationem singulorum praemissorum. Nam quantum ad revelationem divinorum mysteriorum, subdit: *quosdam autem prophetas*, qui praenuntiatores fuerunt Incarnationis Christi..... Sed Apostoli prophetantes fuerunt post adventum Christi gaudia vitae futurae...; item fuerunt exponentes antiquorum prophetarum prophetias..... Quantum vero ad annuntiandum Evangelium subdit: *alios vero Evangelistas*, qui scilicet habent officium praedicandi evangelium, vel etiam conscribendi, quamvis non essent de principalibus Apostolis, Rom. X. 15. *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Isai. XLI. 27. *Dabo Hierusalem evangelistam.* Quantum vero ad curam Ecclesiae subdit: *alios autem pastores*, curam scilicet dominici gregis habentes; et sub eodem addit, *et doctores*, ad ostendendum quod proprium officium pastoris Ecclesiae est docere ea quae pertinent ad fidem et bonos mores. „

altera generatione repente sublata, altera in eius locum subintret, sed unam alteri sensim interseri, et continua serie pastores et fideles primae, secundae et tertiae generationis se se ita excipere ut aliquo tempore sint coaevi. Quapropter si iuvenes sequentis generationis evulgarent aliquid ut a patribus acceptum, contradictores haberent, praeter multos aequales, senes generationis prioris, et sic deinceps, cum praesertim hic agatur de re summi momenti, et in qua sententiarum diversitas non sine magna animi contentione contingere soleat, saepe etiam usque ad sanguinis effusionem. His adde moralem impossibilitatem deceptionis, quae habetur in testimonio, quod a multis fertur loco disiunctis, quique aetate, studiis, moribus, aliisque adiunctis differunt, quae in causa esse solent cur textes vel decipiant vel decipiantur. Denique maxime in re praesenti habenda est prae oculis propria indoles Pastorum Ecclesiae quatenus testificantur doctrinam ipsis traditam. Patet hoc ex summa cura, quam semper habuerunt ne innovatio ulla induceretur dissona a doctrina praecedentium aetatum. Unde Munscher, licet protestans rei evidentia convictus ita loquitur apud Franzelin (*De Trad.* th. 8 in fin.). " Etiamsi nulla diserta testimonia in promptu essent de auctoritate et usu traditionis, eius tamen vis et momentum ex multis indiciis se proderet. Inde enim orta est illa sollicitudo in quavis sententia, imo in quovis termino theologico, suspicionem novitatis amovendi; inde Episcoporum, synodorum, ac symbolorum protestatio tam frequens et expressa, nihil nisi acceptam a sanctis antecessoribus doctrinam proponi; inde studium in controversiis fidei doctrinam confirmandi auctoritate veterum, et oppositam arguendi novitatis; inde diligentia in Conciliis colligendi testimonia antiquitatis, quibus suam definitionem confirmarent... Haec scilicet demonstrant criterium verae doctrinae, ut Athanasius ait (*De decret. Nic.* n. 4.), *cum omnes inter se consentiunt, et nec inter se nec a Patribus discrepant.* „ Praeterea, licet non semper ea sanctitas et scientia eluceat, quae decet officium quo funguntur pascendi dominicum gregem, quavis tamen aetate non destitit divina providentia Pastores et

Doctores moribus et doctrina maximopere conspicuos, ac propterea aptissimos ad doctrinae traditae conservationem et tutelam. Hoc argumentum Augustinus non semel urget. Sic (Lib. 2. *cont. Iulian.* n. 37.) postquam plurium Patrum praecedentium sententiam adversus hunc pelagianum attulerat. " Isti *Episcopi sunt*, ait, *docti*, *graves*, *sancti*, *veritatis acerrimi defensores* adversus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quae tria bono iudici tribuisti, non potes invenire quod spernas. Si episcopalis synodus ex toto orbe congregatur, mirum si tales possent illic facile tot sedere. Quia nec isti uno tempore fuerunt, sed fideles et multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas aetates temporum locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire iudicat ipse dispensat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus ab Oriente et Occidente congregatos vides, non in locum quo navigare cogantur homines, sed in librum qui navigare possit ad homines. Quanto tibi essent isti iudices optabiliores, si teneres catholicam fidem; tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas catholicam fidem: quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cuius lac et cibum parvis magnisque ministraverunt, quam contra inimicos etiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelamini (al. refellamini), apertissime ac fortissime defenderunt. Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit. Ideo profanas voces vestrae novitatis expavit; et cauta ac sobria ex admonitione apostolica, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et mens eius corrumperetur a castitate quae est in Christo 2. Cor. xi. 3., catholicae fidei virginitate insidias vestri dogmatis subrepentis exhorruit; et tamquam caput colubri calcavit, obtrivit, abiecit. His igitur eloquiis et tanta auctoritate sanctorum profecto aut sanaberis Dei misericordia donante, quod quanto tibi optem, videt qui faciat: aut si, quod abominor, in eadem quae tibi videtur sapientia et est magna stultitia, perduraveris; non tu iudices quaesiturus es, ubi causam tuam purges; sed ubi tot sanctos doctores egregios atque memorabiles catholicae veritatis accuses, Irenaeum, Cypria-

num, Reticium, Olympium, Hilarium, Gregorium, Basilium, Ambrosium, Ioannem, Innocentium, Hieronymum, ceterosque socios ac participes eorum, insuper et universam Christi Ecclesiam cui divinae familiae divina cibaria fideliter ministrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt. „

II. **Ecclesiae praxis.** *Maximam habet*, praeclare ait S. Thomas (2. 2ae q. 10. a. 12.), *auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda; quia et ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscumque Doctoris.* Haec praxis praeterea cum universalis est et perpetua exhibet vocem et testimonium Ecclesiarum omnium, Episcoporum, Presbyterorum, ac plebis ipsius suffragia, effata, ritus, dogmata, ut maxime patet ex sacra liturgia. Hinc S. Augustinus in disputatione contra Pelagianos et Semipelagianos perpetuo urget argumentum ex Ecclesiae praxi desumptum, tamquam omnino irrefragabile. Sic ex. gr. efficacissime simul ac lepide dogma originalis peccati tuetur (cont. *Iulian.* lib. 6. n. 11.) ex ceremoniis Baptismi. " Etsi nulla ratione indagetur, nullo sermone explicetur, verum tamen est, quod antiquitus veraci fide catholica praedicatur et creditur per Ecclesiam totam: quae filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, et a principe mortis erueret; quod in libro meo, cui velut respondes, a me positum est (*De nupt. et concup.* lib. 1. n. 22.): sed id tu commemorare timuisti, tamquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, qua princeps mundi et a parvulis eiicitur foras, contradicere voluisses. Frustra te intorques argumentationibus vanis, non adversus me, sed adversus communem matrem spiritualem; quae non te aliter peperit, quam sicut iam non vis ut pariat. „ Similiter etiam (*De dono persev.* c. 23.) ex orationibus Ecclesiae probat gratiae necessitatem ad perseverandum. " Utinam, inquit, tardi corde et infirmi, qui non possunt, vel nondum possunt Scripturas vel earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quaestione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper

habuit et habebit Ecclesia ab exordiis suis donec finiatur hoc seculum. „

Porro ad Ecclesiae praxim revocamus etiam *exempla Sanctorum*, ac nominatim *acta Martyrum*. Sancti enim sunt templa viva Spiritus Sancti in tota Ecclesia omnibus perspicua, et de ipsis speciatim verificatur illud Christi Matth. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est;* ac illud Apostoli, 2. Cor. iii. 2, 3. *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quae scitur et legitur ab omnibus hominibus: manifestati, quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Quod attinet vero ad *acta Martyrum*, manifestum est quanti valeant ad doctrinam fidei conservandam, tum quia eorum dicta, quando coram praesidibus sisterentur, superno instinctu pronuntiata fuere, ut indicat Christus, Matth. x. 19. 20. cum parall.; tum quia tyrannos alloquentes, non privatas opiniones, sed nudam et communem enuntiabant fidem, prout in domesticis et publicis Ecclesiae conventibus tradebatur; tum denique quia eorumdem lectio fidelibus minime permittebatur, nisi Episcopo probante, et non solum privatim, sed publice etiam fiebat praesulibus et fidelibus omnibus inspectantibus, quorum suffragium profecto non tulissent, si aliquid a recepta Ecclesiae fide alienum continerent.

III. **Ecclesiae Patres**. Quanti valeat horum auctoritas in re praesenti, facile intelligitur, si quid hoc nomine intelligatur antea breviter indicemus.

Iam *Ecclesiae Patres* vocantur non omnes viri Ecclesiastici, qui verbo et exemplo de populo christiano fuerunt bene meriti, sed quidam dumtaxat iique insignes, qui antiquitate, sanctimonia, doctrinaque in asserendis vindicandisque Ecclesiae dogmatibus famam et celebre nomen adepti sunt. Appellatio sumitur ex analogia naturalis generationis. Nam viris ecclesiasticis proxime descriptis maxime convenit in vera christianae fidei rectaque institutione Ecclesiae filios gignere, fingere ac formare, quo sensu Apostolus Gal. iv. 19. ait: *Filioli mei, quos iterum parturio,*

donec formetur Christus in vobis. Quatuor itaque conditiones requiruntur, ut aliquis gravissimo sanctissimoque hoc nomine condecoretur. Prima est *antiquitas*, quemadmodum naturalis etiam generatio prioritatem in generante et perfectionem potentiae certos aetatis annos praecurrentem supponit. Iam vero usu satis communi aetas Patrum non ultra sec. XII. extendi solet, ac S. Bernardus *novissimus Patrum* vocari consuevit. Ex huius conditionis defectu posteriores Sancti, quantumvis doctrina maximopere conspicui, inter *Patres* non accensentur, sed solummodo inter Ecclesiae *Doctores*, cuiusmodi sunt S. Thomas, S. Bonaventura, aliique. Altera conditio est *excellens quaedam morum honestas ac sanctimonia*: recta enim institutio, praesertim in doctrina ac disciplina christiana, non verbum tantum oris, sed exemplum quoque vitae postulat. In hac sanctimonia includitur peculiaris coniunctio cum Deo omnis sapientiae fonte, inde profundior et exactior fidei ac disciplinae christianae intelligentia, atque ardens Ecclesiae eiusque unitatis et doctrinae sinceritatis amor. Hinc praecipue postulatur fidei integritas illibata, ac numquam extincta, ac proinde usque ad finem communio cum Ecclesia Catholica. Huius rei gratia Tertullianus, Origenes, aliique huiusmodi proprie tamquam *Patres* haberi non possunt, licet propter doctrinae utilitatem, in iis in quibus non errant, ac praecipue antiquitatem, saepe sic nominentur. Tertia conditio est *doctrinae splendor*: id enim proxime pertinet ad vim filiorum generatricem, ratione cuius Ecclesiae *Patres* dicuntur. Unde Augustinus (*Contra Iulian.* lib. 1. c. 7. n. 3.). " Sed ecce, quo te introduxi, conventus sanctorum istorum non est multitudo popularis; non solum filii, sed etiam Ecclesiae patres sunt. Ex illo numero sunt, de quibus praedictum est, Ps. XLIV. 17: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii; constitues eos principes super omnem terram.* Ex qua filii generati sunt, ut haec discerent, eius patres facti sunt ut docerent. „ Licet vero is doctrinae splendor requiratur semper ut quis in numero Patrum Ecclesiae computetur, sunt tamen nonnulli e Patribus Ecclesiae, quibus exsors quaedam et supereminens doctrinae amplitudo ac splendor nomen etiam *Doctoris*

Ecclesiae adiecit. (1) Ultima denique conditio est *expressa* vel *tacita Ecclesiae approbatio.* Patet necessitas huius conditionis; secus enim non constaret fidelibus de concordia doctrinae cum testimonio successionis Apostolicae: unde ut alias notavimus (pag. 68.) ipse Paulus hanc approbationem sollicitavit, ut eiusdem missio licet immediate a Christo accepta fidelibus innotesceret. Diximus *expressam* vel *tacitam*, quia non requiritur solemne decretum, sed

---

(1) Ex quibus patet hunc titulum nec *omnibus* nec *solis* Ecclesiae Patribus convenire. Nam Doctores in Ecclesia declarati sunt S. Thomas a S. Pio V, S. Bonaventura a Xisto V, S. Petrus Damiani a Leone XII, S. Bernardus a Pio VIII, ac SS. Hilarius, Alphonsus de Ligorio, Franciscus Salesius a Pio IX. Inter vetustiores etiam Ecclesiae Patres distinguuntur secundum numerum Evangelistarum *quatuor magni doctores*, qui sunt Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius M. in ecclesia occidentali; Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus in ecclesia orientali: quibus summo iure ac merito annumerari debent S. Leo M. ac S. Petrus Chrysologus, ut omnes norunt. Uberiorem vero et luculentiorem *doctoris* speciem describit Benedictus XIV in *Brevi*, quo S. Leoni M. missam et Officium decrevit sub ritu SS. Doctorum an. 1754. " Militantis Ecclesiae auctor rectorque Deus, quum eam super fundamentum Apostolorum et Prophetarum aedificaverit, summoque lapide angulari Christo Iesu innixam voluerit, tum provido cavit consilio, ut ad illius custodiam atque praesidium usque in seculorum finem advigilarent egregii sanctique doctores, qui nedum sublimioris virtutis exemplo fidelium mores ad sanctitatem iustitiamque componerent, sed etiam doctrinae vi et excellentia eosdem in fidei sinceritate et salutaris scientiae veritate continerent. Horum quidem operam tanti se facere ostendit communis Dominus et Magister, ut eos sal terrae et lucem mundi appellaverit, utpote qui non vivae tantum vocis officio, quemadmodum ceteri sanctarum plebium pastores, praesentium sibi populorum saluti consulturi erant, sed peculiari sapientiae lumine Spiritus Sancti dono ditati, doctissimis conscriptis libris, universam Ecclesiam instruere et omnium seculorum posteritatem in religione erudire debebant. Hinc Ecclesia ipsa, Sponsi sui Spiritu imbuta, eiusque instituta servare studens, eosdem gloriosos viros uberiori doctrinae munere a Deo repletos hoc singulari honore prosequi consuevit, ut in solemnibus sacris quae recurrentibus eorum festivitatibus celebrantur, tam scilicet in sacrificio Missae, quam in ecclesiasticis officiis, eiusmodi preces, lectiones, et laudes adhiberi iubeat, in quibus et S. Doctoris titulus ipsis tribuitur et eorum sapientia ac doctrina specialius praedicantur. „

sufficit practicus, ut ita dicam, consensus; qui certo certius numquam deerit si notatae tres conditiones adfuerint.

Ex hac sola expositione manifesta est auctoritas Patrum in custodiendo et tuendo fidei deposito. Etsi enim secundum naturalia principia res inspiciatur, habemus in huiusmodi viris conditiones omnes quae fidem mereantur. Quod si ordinem divinae providentiae theologice consideremus, idipsum multo luculentius apparet, quatenus ii sunt, qui, Christo Domino disponente, uti luminaria et columnae per temporum aetates orbisque plagas positi sunt, ut Scripturas aperirent, traditiones assererent, haereticos et infideles refellerent, et populo christiano tamquam viae duces praeirent. Accedit quod plurimi ex ipsis, utpote Episcopi, pertinebant immediate ad authenticos fidei testes Apostolicae successionis, ad quos directa est illa Christi promissio: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Quapropter hic maxime valet Ecclesiastici monitum, VIII. 11. *Non te praetereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum.* Id etiam praecepto et exemplo docuerunt tum Concilia in formandis decretis, tum Patres ipsi in firmandis et vindicandis dogmatibus, tum interpretes in expositione Scripturarum. Vide praesertim Conc. Romanum sub Martino I. an. 649., item Conc. oecumenicum VII., et VIII.

IV. **Theologi scholastici**. Hi sunt qui Ecclesiae Patres in re, de qua agimus, exceperunt, et quemadmodum loquitur Leo XIII. f. r. in sua Encyclica *Aeterni Patris* d. 4. Aug. 1879. " Magnae molis opus aggressi sunt, nimirum segetes doctrinae fecundas et uberes, amplissimis Sanctorum Patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere, congestasque uno velut loco condere, in posterorum usum et commoditatem. „ Quaenam vero sit origo et propria indoles scholasticae theologiae, et quanti facienda in re praesenti, declarat Sixtus V. in Bulla *Triumphantis Ecclesiae* an. 1588. " Cum haereticorum insidiae et diabolicae machinationes quibus sacram theologiam, quae Scholastica appellatur, hoc luctuoso seculo oppugnant vehementissime, Nos magnopere admoneant, ut eamdem theo-

logiam, *qua nihil Ecclesiae Dei fructuosius*, omni studio retineamus, illustremus, propagemus. *Divino* enim *illius munere*, qui solus dat spiritum scientiae, sapientiae et intellectus, quique Ecclesiam suam per seculorum aetates, prout opus est, novis beneficiis, novis praesidiis instruit, *inventa est* a maioribus nostris sapientissimis viris *theologia scholastica*: quam duo potissimum gloriosi Doctores, angelicus S. Thomas et seraphicus S. Bonaventura, clarissimi huius facultatis professores, et primi inter eos qui in sanctorum numerum relati sunt, excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime dispositam multisque modis clare expositam posteris tradiderunt. Et huius quidem tam salutaris scientiae exercitatio, quae *ab uberrimis divinarum Litterarum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adiumentum attulit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas. His* vero *novissimis diebus*, quibus advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in peius errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae Ecclesiae Dei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis *pernecessaria est.* Et profecto rem ita se habere, ipsimet veritatis inimici sunt iudices, quibus theologia scholastica maxime est formidolosa, qui profecto intelligunt, *apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, illo ordine et dispositione, tamquam militum in pugnando instructione, illis dilucidis definitionibus et distinctionibus, illa argumentorum firmitate et acutissimis disputationibus, lucem a tenebris, verum a falso distingui, eorumque mendacia multis praestigiis et fallaciis involuta, tamquam veste detracta, patefieri atque nudari.* Quanto igitur magis illi hanc munitissimam scholae theologicae arcem oppugnare et evertere conantur; tanto magis nos decet hoc *invictum fidei propugnaculum* et *haereditatem Patrum nostrorum* conservari et tueri, et acerrimos veritatis defensores meritis honoribus, quantum possumus, decorare. „

Hactenus Sixtus V. Illud praeterea debet maxime considerari, consentientem Scholae doctrinam de fide vel moribus connecti cum praedicatione authentica Pastorum Ecclesiae; si enim a catholica doctrina dissideret, Pastores Ecclesiae necessario reclamassent, praesertim si inspiciatur dependentia Scholarum mediae aetatis ab Apostolica Sede. Hinc Episcopi iidem et summi Pontifices, ac ipsa Concilia Oecumenica in doctrina declaranda ac definienda theologos in consilium ita adhibebant, ut communis scholarum doctrina praeparatio quaedam esset authenticae definitionis Pontificiae ac Conciliorum, ut videre est in Concilio Viennensi et Tridentino. Quare optimo iure meritoque Apostolica Sedes non semel damnavit qui in Scholam insurrexere. Sic Martinus V. hanc Wicleffi (prop. n. 29.) proscribendo: *Universitates, studia, collegia, graduationes et magisteria in iisdem sunt vana gentilitate introducta; tantum prosunt Ecclesiae sicut diabolus.* Ita Pius VI. in censura inflicta prop. 76 et 79. Synodi Pistoriensis. " Insectatio, qua Synodus scholasticam exagitat, velut eam, quae viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus quoad veritates maioris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum; quatenus in scholasticam reiicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt: *falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicae religionis bono scholasticam excoluere, iniuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis.* „ Tum sic: " Assertio, quae conviciis et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus Apostolica Sedes nihil adhuc definiendum, aut pronuntiandum censuit: *falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogans.* „ Ita Gregorius XVI. prohibens Hermesii opera tum ob alios errores, tum etiam quod libri illi contineant propositiones *in scholas catholicas iniuriosas.* Similiter se gessit non semel Pius Papa IX. proponens hanc propositionem D. Bonnety ad subscribendum d. 15. iun. 1855. *Methodus, qua usi sunt D. Thomas, D. Bonaventura et alii post ipsos scholastici non ad rationalismum ducit, neque causa fuit, cur apud scholas hodiernas*

Philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere, quod methodum hanc, praesertim approbante vel saltem tacente Ecclesia, usurpaverint. Et rursus in Brevi de libris et doctrina Guntheri de 15. iun. 1857, ubi inter alios errores hunc notat, quod is, inquit, *ab iis in catholicas scholas dicteriis non abstinuerit, quae recolendae memoriae Pius VI. decessor noster solemniter damnavit.* Et denique in sententia de conventibus theologorum Germaniae d. 21. decembris 1863. " Neque ignorabamus, ait, in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem scholam, et adversus doctrinam summorum illorum doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opinione *ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur*, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia secula permisit, ut ex eorumdem doctorum methodo et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit. „ Hinc censura prop. 13. in *Syllabum* relatae. *Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.* (1)

(1) Idcirco de theologiae scholasticae auctoritate, Clemens Schrader hanc colligit ac statuit thesim (Op. posth. *De theologico testium fonte*, th. 22.): *Christiana scholarum institutio et illorum de fide concors doctrina, qui secundum Patres editis de religione operibus in unitate catholica singulis aetatibus floruerunt, talis existimari debet, quae cum Patrum consensione non immerito comparetur.* Licet vero propter recentiorem aetatem non eadem, ac vetustioribus Patribus, veneratio Doctoribus Scholasticis concilietur, speciale tamen ipsi praebent emolumentum ad sinceram doctrinam fidei e fontibus traditionis hauriendam. " Sicut enim, ait S. Pater Ignatius (Lib. Exer. Reg. xi. ad recte sentiendum cum Ecclesia), Sanctis Doctoribus antiquis Hieronymo, Augustino, Gregorio et consimilibus, scopus fuit ad

V. **Haereticorum oppugnatio.** Mirum esse non debet, quod inter praesidia conservandae traditionis etiam haereticos recenseamus. Ut enim ait S. Augustinus (7. *Confess.* 19.): *Improbatio quippe haereticorum facit eminere quid Ecclesia tua sentiat, et quid habeat sana doctrina. Oportet enim et haereses esse, ut probati manifesti fiant inter infirmos.* Id praestant dupliciter haeretici. Primo, per ipsam doctrinam quam ipsi retinent et amplectuntur. In eo enim, in quo ab Ecclesia desciscunt, testes sunt doctrinae quae in Ecclesia vigebat, quando ipsi ab eadem discesserunt. In iis vero doctrinae capitibus, quae profiteri pergunt postquam ab Ecclesia separati sunt, testimonium exhibent locupletissimum avitae fidei quam instituti ac enutriti in Ecclesia Catholica receperunt, antequam ipsi rebellarent. Hac ratione invictissime refellimus Novatores seculi XVI, ex testimonio sectarum orientalium, quae licet a Catholica Ecclesia seculo IV. et V. abscesserint, eosdem tamen retinuerunt articulos, ex. gr. de Ecclesiastica Hierarchia, de Sacrificio, de numero et efficacia Sacramentorum, de libris deutero-canonicis, quos novatores praedicti velut papismi innovationes recens inductas traduxerunt. Vide Renaudotium (*La perpétuité de la foi*, to. 5.). Alius modus, quo haeretici opitulantur sanae doctrinae, habetur in ipsa oppugnatione eorumdem. Sicut enim singulis aetatibus exorti sunt haeretici ad Ecclesiae dogmata oppugnanda, ita etiam singulis aetatibus in Ecclesiae defensionem Deus excitavit homines doctissimos, qui diligentius investigarunt traditiones antiquas easque posteris commendarunt. Quemadmodum qui diu pacifice possidet

---

amorem et cultum Dei amplectendum animos movere; ita *peculiare est* D. Thomae, Bonaventurae, Magistro sententiarum et aliis recentioribus theologis dogmata ad salutem necessaria *exactius tradere atque definire*, prout convenit suis temporibus et posteris, ad errores haeresum confutandos. Siquidem Doctores huiusmodi, *ut sunt tempore posteriores*, non solum sacrae Scripturae intelligentia praediti sunt et veterum auctorum iuvantur scriptis, sed etiam cum influxu divini luminis, Conciliorum sanctionibus, decretis, et variis Ecclesiae sanctae constitutionibus, ad salutis nostrae subsidium feliciter utuntur. „

bona sua, facile amittit instrumenta, quae probent quo iure bona illa possideat; at qui semper litigat, diligentissime illa custodit, nec excidere ulla ratione patitur. Apposite iterum Augustinus (*De Gen. cont. Manich.* lib. 1. c. 1.). " Ideo divina providentia multos diversi erroris haereticos esse permittit, ut cum insultant nobis, et interrogant nos ea quae nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, et divinas Scripturas nosse cupiamus. Propterea et Apostolus dicit: *Oportet haereses esse, ut probati manifesti fiant inter vos.* 1. Cor. xi. 19. Illi enim Deo probati sunt, qui bene possunt docere: sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi cum docent; docere autem nolunt, nisi eos qui doceri queunt. Sed multi ad quaerendum pigri sunt, nisi per molestias et insultationes haereticorum quasi de somno excitentur, et de imperitia sua erubescant sibi, et de illa imperitia sua periclitari se sentiant. Qui homines si bonae sunt fidei, non cedunt haereticis, sed quid eis respondeant diligenter inquirunt. Nec eos deserit Deus, ut petentes accipiant, et quaerentes inveniant et pulsantibus aperiatur. Qui autem desperant se posse in catholica disciplina invenire quod quaerunt, atteruntur erroribus; et si perseveranter inquirunt, ad ipsos fontes, a quibus aberraverunt, post magnos labores fatigati atque sitientes et pene mortui revertuntur. „ Ac rursus alibi (16. *Civ.* 2.) mystice exponens qua ratione Cham filius Noë praefigurabat futuros haereticos, sic eleganter ait. " Cham porro, quod interpretatur *calidus*, medius Noë filius, tamquam se ab utroque discernens, et inter utrumque remanens, nec in primitiis Israelitarum, nec in plenitudine Gentium, quid significat nisi haereticorum genus calidum, non spiritu sapientiae, sed impatientiae, quo solent haereticorum fervere praecordia et pacem perturbare sanctorum? Sed haec in usum cedunt proficientium, iuxta illud Apostoli: *Oportet et haereses esse, ut probati manifesti fiant in vobis.* 1. Cor. xi. 19. Unde etiam est scriptum: *Filius eruditus sapiens erit, imprudente autem ministro utetur.* Prov. x. 4. (secundum LXX.). Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint,

et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius praedicantur: et ab adversario mota quaestio discendi existit occasio. „ Cf. etiam (*De bono persev.* c. 53.)

THESIS XII.

Certa etiam existunt criteria sive regulae, quibus apostolica et divina origo traditionis infallibiliter innotescat.

Deducuntur partim ex iis quae in superiori thesi notavimus, partim ex iis quae de Ecclesiae auctoritate in proprio tractatu docentur. Sunt autem quae sequuntur.

Regula I. Ita enuntiatur et explicatur a Bellarmino. (*De verbo Dei*, lib. 4. c. 9.) " *Quando universa Ecclesia aliquid, tamquam fidei dogma, amplectitur, quod non invenitur in divinis litteris, necesse est dicere, ex Apostolorum traditione id haberi.* Ratio huius est, quia cum Ecclesia universa errare non possit, cum sit columna et firmamentum veritatis, 1. Tim. III., et cum de ea dictum sit a Domino, Matth. XVI. *Portae inferi non praevalebunt adversus eam*: certe quod Ecclesia de fide esse credit, sine dubio est de fide. At nihil est de fide, nisi quod Deus per Apostolos aut Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur,; non enim novis revelationibus nunc regitur Ecclesia, sed in iis permanet, quae tradiderunt illi, qui ministri fuerunt sermonis, et propterea dicitur, Ephes. II. *Aedificata supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum*; igitur illa omnia, quae Ecclesia fide tenet, tradita sunt ab Apostolis aut Prophetis, aut scripto, aut verbo. Talis est perpetua Virginitas B. Mariae, numerus librorum canonicorum, et similia. „

Regula II. Prosequitur idem Bellarminus. " *Quando universa Ecclesia aliquid servat quod nemo constituere potest, nisi Deus, quod tamen nusquam invenitur scriptum, necesse est dicere ab ipso Christo et Apostolis eius traditum.*

Ratio est similis superiori. Nam Ecclesia universa, non solum non potest errare in credendo, sed nec in operando, ac praesertim in ritu et cultu divino: recteque Augustinus docet (*Ep.* 118.), insolentissimae insaniae esse existimare, non recte fieri, quod ab universa Ecclesia fit. Ergo quae Ecclesia non potest recte servare, nisi sint a Deo instituta, et tamen servat, necesse est dicere a Deo instituta, etiamsi nusquam id legatur. Tale est baptisma parvulorum. Erraret enim gravissime Ecclesia, si sine Dei mandato parvulos, qui actu non credunt, baptizaret. Quocirca Augustinus (lib. 10. *de Gen.* c. 23.): *Consuetudo*, inquit, *matris Ecclesiae in baptizandis parvulis nequaquam spernenda, neque est ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Tale est etiam, Baptismum haereticorum esse ratum, et propterea Augustinus mandatum non rebaptizandi ab haereticis baptizatos, ad Apostolorum traditionem revocat: nec enim potest Ecclesia dare Baptismo auctoritatem, si eam a Christo non habet. „

Regula III. Ita enuntiari potest. *Scholastici theologi, si universali et indubitata affirmatione conveniant in aliquid, tamquam ad fidem pertinens, certum suppeditant argumentum apostolicae et revelatae doctrinae.* Ratio est duplex. Prima, quia moraliter est impossibilis huiusmodi concors sententia, nisi fundamentum habuissent valde clarum in revelationis deposito: hic enim optime applicari potest vulgatum Tertulliani dictum: *Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.* Altera ratio est, quia error in tanta consensione si inveniretur, totam Ecclesiam errandi periculo exponeret. Fideles enim et ipsi Pastores huiusmodi communia Scholarum placita sequi solent, ut est experientia notum. Apposite Melchior Canus (*De locis theol.* lib. 8. c. 4.). " Si qua in quaestione universi theologi eadem inter se concinunt, profecto si in eo errant, Ecclesiam item errandi periculo exponunt. Sive enim qui confessiones audiunt, sive qui ad populum habent conciones, utrique plebem instituunt, ut a theologis acceperunt. Ita fit ut Ecclesia eorum in fide communem errorem dissimulando, Christi fideles suo silentio deci-

peret. *Error*, enim, *cui non resistitur approbatur; et veritas, cum non defenditur, opprimitur*, ut Innocentius ait, (*Dist.* 83. c. *Error.*); atque Deus ipse, si theologorum omnium errorem non aperiret, in necessariis populo christiano deesset. Quid enim facturus est populus imperitus, nisi eos sequi, quos pro illo tempore ecclesiasticae doctrinae magistros accepit? An post haec omnia scholae theologia contemnenda est? Crederem, nisi eius auctoritate Ecclesia res plurimas definisset. Quippe trecentos abhinc annos, si quas Ecclesia haereses condemnavit, si qua de fide et moribus decreta tulit, in utrisque scholasticorum subsidio et diligentia vehementer adiuta est. Id quoniam constat inter omnes, quibus vel Conciliorum gesta, vel negotia cognitionis fidei sunt cognita, fateamur necesse est, doctores scholasticos simul omnes in fide et moribus errare non posse. „ Huc usque Canus. Similia animadvertit Bellarminus (*De matrim.* lib. 1. c. 7.). Hinc Pius IX. in Litt. ad Archiep. Monacensem et Frisingensem, d. 21. dec. 1863. haec habet. " Etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum huiusque Apostolicae Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur. „

Regula IV. Habetur in consentiente Patrum doctrina, et sic enuntiatur. *Cum Patres Ecclesiae consensu unanimi docent aliquid ex divina traditione provenire, aut doctrinam contrariam tamquam haereticam reiiciunt, vel praxim tamquam medium salutis necessarium exigunt, tenendum est id apostolicam et divinam esse traditionem.* Dixi: *consensu unanimi*, quod non mathematico, sed morali tantum sensu intelligere oportet, atque ita exponit Perronius in Resp. ad Regem Angliae. " Tunc unanimis Patrum consensus cumulate probatus aestimari debet, cum singularum nationum eminentissimi in alicuius rei assertione conveniunt; ita ut inter illos nemo, qui semper ortho-

doxus, semperque orthodoxis adhaesit, dissentiat. „ Porro ita se rem habere, facile ostenditur ex iis quae iam diximus sunt de Patrum auctoritate, ac ratio fere eadem est ac pro regula superiori. Etenim, attentis dotibus, quibus Ecclesiae Patres insigniuntur, prudens quilibet nullum rationabile dubium habere poterit, ne Patres sic consentientes testes sint fidelissimi traditionis quam acceperunt. Praeterea sive iuxta Scripturae monitum Eccl. VIII. 11.; 1. Cor. XII. 28.; Ephes. IV. 11.; sive iuxta eorumdem Patrum exemplum, et Ecclesiae praeceptum; sive denique iuxta rectum prudentiae dictamen, huiusmodi communem consensum sequi tenemur, eique minime refragari. Si itaque in hoc consensu error posset irrepere, ipsa Ecclesia erraret idque sequendo mandatum Domini, quod impium est asserere. Quapropter Conc. Ephesinum, Act. I., ait: " Divinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens sanctorum Patrum tenuerit antiquitas. „

Regula V. Haec praecipua et suprema est. *Solemnis fidei definitio lata vel ab universis Ecclesiae Pastoribus, vel a Christi in terris Vicario, Successore B. Petri Romano Pontifice ex cathedra loquente, est authenticum et certum divinae traditionis testimonium, et controversiarum omnium, quae de eiusdem divinae traditionis existentia et sensu exoriuntur, iudicium supremum et irreformabile.* Est enim testimonium et iudicium eminentissime Apostolicum, cui proinde acquiescere oportet sicut verbo ipsius Christi, iuxta illud Luc. X. 16. *Qui vos audit, me audit*; ac XXII. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Consulto autem mentionem fecimus de controversiis, quae exoriantur circa divinae traditionis existentiam et sensum. Ut enim est experientia notissimum, non modo quoad Scripturarum canonem et interpretationem, sed etiam quoad traditionis documenta, dubitationes exoriri possunt, et reipsa haud raro exoriuntur. Non semper enim satis perspicua est eiusdem origo, ac sensus determinatus. Quemadmodum igitur Ecclesia non solum custos Scripturarum fidelis, sed etiam earumdem infallibilis interpres et iudex est a Deo

constituta; ita id ipsum ex eodem divino mandato circa verbum Dei traditum praestare debet: nec minus in uno, quam in altero, haberetur controversiarum terminus, et impossibilitas in unitate fidei conservanda, si talis auctoritas finaliter decidendi huiusmodi controversias in Ecclesia deesset.

Corollaria. Ex praestitutis principiis tria deducantur notatu dignissima.

I. Plenissima habetur probatio apostolicae et divinae traditionis, quando per omnia anteacta secula ascendendo in omnibus documentis et monumentis traditionis invenimus idem ab omnibus ubique creditum. Exemplo sit symbolum Apostolicum. Et huc pertinet regula vulgata Lirinensis (*Common.* 1. 2.). " *In ipsa Ecclesia Catholica magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* (1) Hoc est etenim vere proprieque catholicum quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos maiores, ac patres nostros celebrasse manifestum est; consensionem quoque itidem, si, in ipsa vetustate, omnium vel certe pene omnium sacerdotum pariter ac magistrorum definitiones sententiasque sectemur. „ Hic vero diligenter animadverte, traditam Vincentii regulam

(1) Paulo aliter similem regulam enuntiat Augustinus (*De bapt.* lib. 4. c. 24.) sic: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Discrimen tamen aliquod intercedit inter hanc regulam, et Lirinensem. Etenim secundum Augustini regulam dignoscitur quidem optime origo *Apostolicæ* disciplinae, de qua agitur, ut vero eiusdem *divina* origo concludatur, necesse est ulterius considerare, num disciplina de qua agitur potuerit habere Apostolos ut *institutores*, vel solummodo ut *promulgatores*. Lirinensis autem loquitur expresse de *re credita*, quae utpote fidei obiectum ex divina revelatione procedere debet.

esse quidem *positive* verissimam, prout dictum est, sed, dempta antiquitate, urgeri *negative* non posse, quatenus ad depositum fidei nil pertinere possit quod non *ubique et ab omnibus semper explicite* creditum sit. Quod patet tum ex historia dogmatum; tum ex munere interpretis et iudicis controversiarum quod Ecclesiae convenit; tum ex illis quae luculenter idem Vincentius declarat in op. cit. de politiore explicatione fidei quam depositum revelationis capere potest. Advertendum etiam est, non *opus esse ut certum de traditione habeatur argumentum* percurrere superiores aetates, ut ita eluceat quid singulis aetatibus Ecclesia crediderit vel praedicaverit. Ut enim proxime exposuimus, satis est, ut constet de universali fide vel authentica praedicatione apostolicae successionis in una aetate sive praeterita sive etiam praesenti. Eadem enim semper est Christi Sponsa, Ecclesia mater nostra, licet diversis aetatibus distincta.

II. Unanimis *opinio* theologorum in rebus fidei et morum, per se loquendo, non facit argumentum irrefragabile de divina traditione: ut plurimum tamen est argumentum adeo grave ut ei refragari sit temerarium. Dixi *opinio*, cum videlicet assensu formidoloso ita aliquid tenent, ut fateantur se de veritate talis doctrinae dubitare. Ratio prioris partis est, quia nullibi constat de privilegio infallibilitatis divinitus promisso huiusmodi fidelium opinionibus licet communibus. Vide Lugo (*De fide*, Disp. 5. sect. 6. n. 8.). Ratio alterius partis est, tum quia hic valet vulgata illa maxima, *Peritis in arte credendum*; tum quia res satis perspicua censeri debet, in qua diversarum scholarum sectatores conveniunt in ceteris passim dissentientes. Verum si quando contingat, ut nova ratio vel auctoritas habeatur ignota praecedentibus doctoribus, vel non satis discussa, modo id temere non fiat, minime prohibetur etiam contra torrentem doctorum contraire: idcirco addidimus *ut plurimum*. Non debet autem confundi *unanimis opinio*, de qua loquimur, cum opinione *plurium etiam multorum*, quae etiam solet dici *communis*, h. e. *non singularis*. Hinc fit, ut saepe, in moralibus praesertim, habeatur opinio *communis contra communem*, ut dici solet. Ob-

servandum est etiam, ut ait Haunoldus (*Theol.* lib. 2. n.248), " non sufficere si in aliquo compendio legas aliquam sententiam, quae sit contra communem doctrinam: constat enim huiusmodi compendia corruptissime et cum magno praeiudicio fieri eorum auctorum, quorum doctrinam profitentur ac saepe gravissimis erroribus scatere, nec a minus doctis legi posse sine periculo graviter aberrandi, eo quod compendiatores brevitatem affectantes, saepe truncate referunt opiniones Doctorum, omissis quibusdam exceptionibus aut limitationibus, quae si adderentur, alium omnino sensum efficerent. „

III. Licet auctoritas singulorum Patrum magni facienda sit, *per se* tamen *loquendo* nullius seorsim est irrefragabilis. Charisma enim veritatis nulli in particulari fuit promissum. Unde Hieronymus (Ep. *ad Ctesiph.*) inquit. " Aliter habendi sunt Apostoli, aliter reliqui tractatores: illos semper verum dicere, istos in quibusdam ut homines errare contingit. „ Similiter Augustinus (Ep. 19 *ad Hieronymum*). " Solis iis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc deferre honorem, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam... Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate ac doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi quod a vero non abhorret persuadere potuerunt. „ Merito proinde Alexander VIII damnavit hanc (30) propositionem. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere ac docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Consulto autem dixi: *per se loquendo.* Etenim quandoque ex indole causae aliorumque adiunctorum nonnulli Patres etiam pauci communem Ecclesiae fidem referre intelliguntur. Quando id evenerit, iuxta 1^{am} et 2^{am} regulam ineluctabile haberi potest divinae traditionis argumentum, non quidem ex sola quorumdam Patrum testificatione, sed ex Ecclesiae fide, quae semper est infallibilis. Videantur plura eiusmodi exempla apud Franzelin (*De tradit.* th. 14.).

APPENDIX

DE CENSURA PROPOSITIONUM.

Ab aetate Concilii Constantiensis et deinceps usus invaluit in Ecclesia, ut quibusdam diversisque censuris notentur propositiones, prout plus minusve a puritate doctrinae revelatae recedunt. Ut notitia aliqua, theologo ceteroquin necessaria, de hac re habeatur, sequentibus quaestiunculis brevissime satisfaciemus.

Quaer. I. **Quid proprie intelligatur nomine theologicae censurae?**

Respondeo. Censura dicitur *theologica*, ut ab *ecclesiastica* distinguatur, quae per se et directe non propositiones, sed personas afficit. Definitur *judicium seu sententia, qua nota prava et maligna cuidam inuritur propositioni tamquam fidei aliquo modo nocivae.* Quapropter in huiusmodi iudicio seu sententia proferenda non est respiciendum ad culpabilitatem personae, quae tales propositiones profert, sed ad ipsam propositionem *obiective* inspectam. Potest autem huius rei iudicium proferri vel a privato doctore, vel ab iis, quibus authenticum Ecclesiae magisterium competit, qui sunt Ecclesiae Pastores in communione et sub primatu Romani Pontificis. Sententia, ab Ecclesiae Pastoribus prolata, potest esse definitiva vel secus. Definitiva sententia erit, quando Summus Pontifex, sive in Concilio generali, sive extra, decretum edit pro universa Ecclesia quodque velit a fidelibus indubitanter admitti. Erit autem sententia non definitiva, licet iudicialis, quam proferunt vel Pastores Papa inferiores, vel Papa ipse, ex vi quidem suae Apostolicae auctoritatis, sed rem finaliter non determinando, ut contingit ex. gr. in Beatificatione Servorum Dei.

Nota theologica, quae per huiusmodi censuram apponitur, multiplex est et diversa, prout multiplex est modus, quo propositio potest esse fidei nociva. Omnes complexus est Clemens XI. in Bulla *Unigenitus*, et Pius VI. in Constitutione *Auctorem fidei*. Commode revocari possunt ad tres classes. Ad fidem enim tria pertinent, actus credendi interior, confessio exterior, executio in opere. Ad 1^{am} classem reducimus prop. haereticam, erroneam, temerariam, haeresi vel errori proximam. Ad 2^{am} vero prop. suspectam, haeresim sapientem, male sonantem, piarum aurium offensivam. Ad 3^{am} denique prop. impiam, superstitiosam, blasphemam, schismaticam, seditiosam, iniuriosam, scandalosam. In priori enumeratione potissimum videtur attendi ad doctrinae perversitatem: in altera ad inordinatam locutionem: in tertia denique ad morum corruptionem. Sunt et aliae denominationes, prout videri potest in duplici constitutione citata, sed ad has facile revocantur.

Quaer. II. **Quandonam propositio aliqua dicenda est haeretica?**

Respondeo. Propositio *haeretica* definitur: *Quae certo et immediate contradicit propositioni, quam, ut dogma fidei, certo profitetur Ecclesia universa.* Duo proinde requiruntur, ut haec nota inuratur. Primum, ut sit omnino indubitatum, propositionem seu veritatem, cui ipsa opponitur, tamquam *fidei dogma* ab Ecclesia teneri. Secundo, ut sit etiam omnino indubitatum, eam huic dogmati opponi, non utcumque, sed *immediate* et *contradictorie*. Exempla propositionis haereticae habes in iis, quae contradicunt vel definitionibus fidei Conciliorum oecumenicorum aut Romani Pontificis, vel Scripturarum testimoniis quae nulla omnino tergiversatione possunt eludi. Est autem hic sedulo observandum, aliter hoc duplex iudicium, quod diximus indubitatum, proferri a supremo fidei iudice, aliter a iudicibus inferioribus. Isti enim consulere debent sive definitiones fidei iam habitas, sive communem consensum Ecclesiae iam existentem: quare si in neutro inveniant hanc immediatam oppositionem cum fidei dogmate, quae propositionem haereticam constituit, non possunt huiuscemodi notam ei inurere. Quod a fortiori dicendum de privatis doctoribus.

Supremus contra fidei iudex poterit, etiam non praeexistente Ecclesiae consensu vel solemni definitione, tamquam haereticam condemnare propositionem aliquam. Ad supremam enim Ecclesiae potestatem pertinet decisio controversiarum in materia fidei. Quoties hoc modo propositio aliqua, tamquam haeretica, condemnatur, duo iudicia, virtualiter saltem distincta, profert Romanus Pontifex. Primo enim, tamquam supremus Ecclesiae Pastor et Magister, definit doctrinam, de qua agitur, catholica fide ab Ecclesia universa esse tenendam: deinde vero ac consequenter doctrinam oppositam ut haereticam condemnat. (1)

---

(1) Ut huiusmodi sententia feratur, minime sane requiritur determinata formula verborum; neque enim ullo iure id praecipitur. Requiritur tamen, ut liquido constet, doctrinam, de qua agitur, per supremam Ecclesiae auctoritatem definitivo iudicio proponi fide divina ab omnibus fidelibus tenendam, vel tamquam catholicae fidei destructivam anathematizari. Apposite Maurus Cappellari, sub nomine Gregorii XVI. ad Petri cathedram evectus, in suo egregio opere, cui titulus: " Triomphe du St. Siège et de l'Eglise „ (Migne, *Demons. Evangel.* vol. 16.) c. 24. " Le souverain Pontife définissant exerce l'office de juge: c'est en cette qualité qu'il détermine l'objet de foi, et qu'il commande à la volonté d'y soumettre l'intellect, et non comme un simple théologien, dont l'office est uniquement de convaincre la raison; il faut donc que les termes dans lesquels la définition est conçue montrent dans le Pape l'intention de commander absolument et en vertu de sa suprême autorité l'acte de foi sur cet article déterminé. Cependant, pour juger si le Pape prononce comme juge ou s'il parle comme théologien, il ne faut pas seulement considérer la nature et la qualité de l'object dont il est question; cela dépend encore de sa volonté. Il y a donc certaines formules établies et déterminées par un usage constant de l'Eglise et des Papes, pour faire connaître d'une manière précise à toute la chrétienté les jugements suprêmes et définitifs, et la peine conséquemment encourue par les réfractaires: si le Pape omet cette formule, sans indiquer suffisamment que, malgré cette omission, il entend et veut définir en sa qualité de souverain Pontife et de juge de la foi, il faut en conclure qu'il n'a pas prononcé son jugement en cette qualité, parce qu'il doit s'accommoder à l'intelligence universelle. La principale de ces formalités consiste à qualifier d'hérétique la doctrine contraire, ou à fulminer l'anathème contre ceux qui la professeraient dans la suite. „ Cf. etiam quae scite animadvertit Vazquez (3. p. Disp. 207. c. 3. et Disp. 181. c. 9.).

Quaer. III. **In quo propositio erronea ab haeretica distinguatur?**

Respondeo. Quandoque haec nota sumitur, theologice quidem, sed *sensu generico*, ut quid commune ceteris notis theologicis, ut patet ex Bulla *Exurge Domine*, qua damnantur a Leone X. *errores* Martini Lutheri. Omnibus enim his propositionibus commune est, ut per eas plus minusve a recta credendi regula devietur. *Specifice* vero sumpta propositio *erronea* diversimode a diversis intelligitur: communiter tamen in hoc theologi conveniunt, quod nota erroris primum locum teneat sub nota haereseos, quatenus ex una parte non pertingit ad haereseos pravitatem, ex alia vero ab ipsa non longe abest. Quoniam hoc postremum diverse contingere potest, diversi quoque sunt explicandi modi apud theologos. Quatuor enumerantur a Suarez (*De fide*, Disp. 19. sect. 2. n. 13, 14.), quos omnes et singulos probamus, quippe unusquisque sufficit ut propositio erronea tum ab haeretica tum a temeraria distinguatur.

Primum itaque propositio dicitur erronea, si contradicit veritati, quae reipsa non est definita ut fidei dogma, communi tamen fidelium sensu habetur ut contenta in Sacris Scripturis vel in divina traditione. Exemplo sit hoc, quod Christus mortuus sit pro omnibus, etiam infidelibus. Secundo erit erronea, si propositio cui opponitur non sit omnino indubitanter de fide, quamvis magna auctoritate et quasi communi consensu de fide reputetur. Huiusmodi videtur esse, quod universa tenet Ecclesia, B. Virginem numquam peccasse venialiter. Tertius modus est, si propositio sit omnino certa de fide, altera tamen, quae opposita censetur iuxta communem sensum, non sit evidenter vel certissime contradicens. Huiusmodi est propositio negans dona per se infusa et physice permanentia in iustificatione. Licet enim dogma fidei sit iustificationem fieri per infusionem iustitiae inhaerentis, ac susceptionem gratiae et donorum fidei, spei et caritatis (Trid. *sess.* 6. c. 7.); et ex ipsa explicatione huius capitis Trid. communi consensu habeatur gratiam hanc et haec dona esse per se infusa ac physice permanentia: hoc tamen postremum non est ita evidens ut nulli tergiversationi locus relin-

quatur. Tandem dicitur erronea ea propositio quae contradicit alteri necdum ab Ecclesia definitae ut fide credendae, quae tamen certo deducitur vel ex duplici praemissa revelata, vel ex una revelata et altera naturaliter evidente. Exemplum habes in pluribus propositionibus damnatis in Const. *Auctorem fidei*, ex. gr. 7, 22, 78, etc. (1)

Quoniam in iis modis, quos enumeravimus, aliqua invenitur latitudo, ut consideranti patet, propositio potest esse plus minusve erronea. Est maxime erronea, quando vix ab haeretica distinguitur, et tunc dicitur *proxima haeresi*; quod ipsum proximitatis vocabulum significat.

Quaer. IV. **In quo sita est pravitas propositionis temerariae?**

Respondeo. Id optime declarat Suarez (*De Fide.* Disp. 19. sect. 2. n. 20.). " Est autem temeritas, teste D. Thoma (2. 2ae q. 53. a. 3. ad 2um), praecipitatio quaedam faciendi aliquid sine iudicio vel regula rationis, quasi per contemptum eius, qui ordinarie ex superbia nascitur. Hinc ergo propositio temeraria dicitur generaliter, quae sine rationis regula profertur. Sub regula autem rationis auctoritas comprehendenda est; quia de plerisque rebus ratio ipsa dictat, multum ex auctoritate pendere: maxime tamen hoc verum est in materia, de qua tractamus; agimus enim de temeraria propositione in doctrina fidei vel theologica, quae in auctoritate maxime nititur. „ Hinc patet, variis etiam modis propositionem posse evadere temerariam. Praecipui sunt sequentes.

---

(1) Quidam theologi non vocant erroneam nisi eam propositionem, quae opponitur conclusioni theologicae, quae virtualiter tantum, ut aiunt, sit revelata, cuiusmodi ponunt tritum illud exemplum: Christus est risibilis. Praecisione facta a multis, quae de huiusmodi conclusionibus in tract. *de Fide* disputantur, hoc unum modo animadvertimus, plurimas haberi propositiones quae tamquam erroneae damnantur ab Ecclesia, quibus minime competit allata definitio horum theologorum, sed optime convenit *una e quatuor explicationibus*, quas nos afferimus. Luculentissima habes exempla in Const. cit. *Auctorem fidei*. Non negamus quandoque propositionem eo sensu dici erroneam, sed negamus hunc sensum esse unicum, imo fortasse rarissimus est, ut videre poteris in cit. Constitutione.

I. Si in materia theologica et supernaturali, solo proprio iudicio absque sufficiente auctoritate vel ratione, excogitata sit. Hoc enim deficit a rationis regula et praesumptionem habet. Exemplo esset, si quis de S. Aloisio diceret, eum numquam peccasse venialiter.

II. Si propositio, quae communi theologorum suffragio probabilis reputatur, a privato aliquo theologo censura theologica notetur. Imo, addit Suarez (l. c. n. 21), " tales censurae sine discretione prolatae scandalum generant et iniuriosae sunt, quia et infamiam inurunt, et interdum inducunt alia incommoda et detrimenta; et ideo prudens theologus ac timoratus diligentissime observare debet, ut has censuras sine magno iudicio non efficiat. „ Idem repetit sect. 6. in fine. Exemplum habes in prop. 26. Synodi Pistoriensis, et in pluribus propos. Baianis.

III. Si propositio pugnet contra receptam sententiam vel Patrum vel Theologorum, ita ut omnes vel fere omnes in illa conveniant, etsi non asserant esse certam, sed omnino probabiliorem aut simpliciter veram. " Quia, ut bene observat idem Suarez (l. c. n. 20), tunc vix fieri potest, ut secundum regulam rationis possit aliquis tantae auctoritati opponi; quia non est credibile, tot Patres sine cogente ratione vel sacro testimonio in eam sententiam conspirasse. „ Hoc modo temeraria esset sententia, quae negaret verum intercessisse matrimonium inter B. Virginem et B. Ioseph.

IV. Si aliquid affirmet contrarium approbatis in Ecclesia institutis ac consuetudini. Licet enim non omnes Ecclesiae praxes, etiam universales, sint sufficientes fundando articulo fidei catholicae, et quandoque regulari possint ex opinione probabili, ut bene animadvertit Bellarminus (*De Conciliis*, lib. 2. c. 17.), ac Vazquez (3. p. Disp. 227. c. 3.); est tamen magna temeritas tam salutaribus institutis contradicere, iuxta illam notam Augustini sententiam Ep. 118. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimae insaniae est.* Exemplo sint prop. 27. 31. 54. Synodi Pistoriensis; item, si quis negaret Assumptionem B. Virginis secundum corpus, vel de aliquo Sancto Canonizato quod sit in gloria.

Hi sunt praecipui modi, quibus propositio aliqua temeritatis pravitatem habere potest. Patet autem, propositionem posse huiusmodi pravitatem plus minusve contrahere, et quandoque ad limites erroris pervenire, quo in casu dicetur *proxima errori*.

Quaer. V. **Quomodo intelligendae ceterae censurae theologicae?**

Respondeo. Earum ratio est petenda a proprietate vocum, quibus significantur. Quapropter sic videntur describi posse.

Propositio dicitur *de haeresi suspecta* vel *haeresim sapere*, quae licet fundamentum sufficiens non praebeat iudicandi absolute esse haeresim, nihilominus sive propter verba et materiam, sive propter personam loquentis, ac tempus, locum aliasve circumstantias dat ansam suspicandi vel probabiliter iudicandi, aliquam haeresim esse in auctore, ex qua haec alia assertio procedat. Similiter intelligenda propositio *de errore suspecta* vel *errorem sapiens*.

Propositio *male sonans* vel *piarum aurium offensiva* non praebent fundamentum audientibus iudicandi vel suspicandi quod proferens aliquam haeresim vel errorem habeat in corde, sed solum peccant in usu vocum diverso ab usu communi, quo solent a fidelibus usurpari. Quomodo vero inter se hae duae notae distinguantur, ita explicat Lugo (*De Fide*, Disp. 20. n. 94.). Male sonans abutitur vocibus extra communiorem significationem, eas applicando ad minus usitatam, quare eius indecentia consistit in usurpatione vocum, quae habent malam significationem et falsam, licet non usurpentur ad illam, sed ad aliam veram. E converso propositio, quae solum offendit pias aures, usurpat voces in sola propria et usitata earum significatione, et nihil falsum dicit, nec vocibus utitur habentibus significationem falsam, sed tamen dicit id vel tali modo, ut fidelium pietatem et reverentiam, si non extinguat, ad minus ex se tepidiorem reddat; et ideo aures piae horrore huius imminentis tepiditatis, auditis his vocibus offenduntur. Exemplum propositionis male sonantis habetur, si quis dicat: In Deo sunt tres essentiae relativae: exemplum vero prop. piarum aurium offensivae esset apud

eumdem Lugonem (l. c. n. 95.), si quis indulgentias aliquas sine sufficienti causa concessas fuisse sciens, diceret, eas indulgentias ridiculas esse et fabulas aniles pueris solis proponendas.

Ceterae propositionum censurae perspicuae sunt ex usitata vocum significatione quibus denominantur. Solum animadvertendum est, propositionem *scandalosam* quandoque posse verum sensum continere. Exemplum affert Lugo (l. c. n. 99.), si quis populo ad venerandam Eucharistiam vel ad sepulchrum alicuius Sancti concurrenti dicat: Quis scit, num haec hostia sit consecrata? Quis scit num hoc corpus sit illius Sancti, vel alicuius malefactoris loco illius suppositum?

Quaer. VI. **An Ecclesiae iudicium in huiusmodi notis definiendis sit infallibiliter verum?**

Respondeo. Si sermo sit de nota haereseos, nullus catholicus de hac re dubitare potest. Nam quoties propositio definitur esse haeretica, contradictoria definitur esse catholica fide credenda. Atqui catholici omnes fatemur Ecclesiae iudicium esse infallibile in dogmatibus fidei definiendis. Sin vero sermo sit de aliis notis theologicis infra haeresim, affirmandum est etiam cum communi theologorum sententia, licet non sit expresse de fide. Ratio est, quia Ecclesia non minus est infallibilis in rebus fidei, quam in rebus morum definiendis. Nequit igitur fieri ut sua definitione reprobet tamquam malum quod est reipsa bonum, et vicissim: ita enim ab essentiali charactere sanctitatis, quo insignitur, desciscceret, et praeterea etiam in fide erraret quae approbat omne bonum et reprobat omne malum. Atqui id contingeret, si definitione sua propositionem aliquam traduceret tamquam fidei nocivam, quae reipsa non est. Praeterea, optimum est argumentum, quod sumitur ex modo quo huiusmodi propositiones ab Ecclesia reprobantur. Nam *eodem omnino tenore* et *eadem auctoritate* Ecclesia a fidelibus exigit, ut reprobent propositiones, quas damnat tamquam haereticas, et eas quas damnat ut temerarias vel sub alia nota consimili. Atqui actus, quo quis reprobat propositionem haereticam ex Ecclesiae definitione, est actus fidei. Ergo etiam assensus, quo

reprobatur, consequenter ad eamdem definitionem, propositio tamquam erronea ex. gr. vel temeraria, h. e. quo diiudicatur propositio esse reipsa talis, temeraria scilicet vel erronea. Atqui Ecclesia est infallibilis quoties fidei assensum exigit; secus unitas et certitudo catholicae fidei tota nutaret. Ergo est infallibilis etiam quando definit esse erroneam, temerariam etc. Propterea, inter articulos, de quibus suspecti errorum Wikleff et Huss interrogandi erant ex mandato Martini V. in Bulla. *Inter cunctas*, 11[us] sic habet: *Specialiter litteratus interrogetur*, *utrum* CREDAT, *sententiam sacri Constantiensis Concilii super quadraginta quinque Ioannis Wikleff*, *et Ioannis Huss triginta articulis superius descriptis latam*, *fore veram et catholicam: scilicet*, *quod supradicti quadraginta quinque articuli Ioannis Wikleff*, *et Ioannis Huss triginta*, *non sunt catholici*, *sed quidam ex eis sunt notorie haeretici*, *quidam erronei*, *alii temerarii et seditiosi*, *alii piarum aurium offensivi.*

Quaer. VII. **Quomodo peccet, qui scienter contradicit iudicio Ecclesiae in supradictis censuris definiendis?**

Respondeo. Si exterius doceat vel defendat, graviter peccat scandalose, et incurrit poenas in iure statutas. Vide Croix (lib. 1. n. 225. 236.), item Const. Pii IX. *Apostolicae Sedis*, Excom. 1[a] inter reservatas R. Pontifici. Sin vero in corde iudicet sententiam ab Ecclesia latam non esse veram, h. e. propositiones, quas damnavit, non mereri illam notam, quae eis inflicta est, nequit excusari a *gravi peccato temeritatis* contra Ecclesiae auctoritatem, imo etiam *haeresis* si agatur de propositione damnata tamquam haeretica. Tandem, si credat huiusmodi propositiones esse revera *pravas* et *damnabiles*, existimat tamen eas esse *veras*, iudicio Ecclesiae directe non contradicit, et de eo est iudicandum prout mox dicemus. Excipe si propositio damnetur uti *haeretica* vel *falsa*.

Quaer. VIII. **An et quomodo peccet, qui propositionem aliquam non haereticam, theologice tamen damnabilem, iudicet esse veram?**

Respondeo. Distinctione opus est. Si propositio sit censurabilis propter inordinatum usum vocum, quibus

profertur, licet verum sensum contineat, patet non esse peccatum, sensum illum verum in corde sentire. Ita De Lugo (*De Fide*, Disp. 20. n. 134.). Sin autem propositio damnabilis sit propter pravitatem doctrinae quam enuntiat, ut contingit ex. gr. in propositione erronea vel temeraria, tunc profecto assensus, quo talis propositio existimetur vera, est de se (1) peccaminosus. " Ita supponunt, ait Suarez (*De Fide*, Disp. 19. sect. 6. n. 1.), doctores omnes in hac materia scribentes. Et sumitur ex Conciliis seu Decretis Pontificiis damnantibus huiusmodi errores, tamquam perniciosos fidei Catholicae, et punientes homines sic temere errantes: quod non facerent sine culpa, quam supponunt vel praesumunt. Ratione etiam probatur primo: quia quod imprudenter fit, praesertim in re tanti momenti, quanti est sacra doctrina, non fit sine culpa. Sed imprudentissimum est temere vel alio simili modo in doctrina sacra opinari et errare ac loqui. Ergo non fit sine peccato. Secundo: quia huiusmodi error parat viam ad graviorem lapsum etiam per haeresim. Ergo qui sic opinatur exponit se periculo gravius errandi, ac proinde etiam in hoc peccat. Tertio: etiam respectu aliorum in hoc peccatur propter scandalum, vel certe etiam propter detrimentum gignendi in mentibus eorum errores graves et in materia gravi; quod plane magnum est proximi nocumentum. „ Hisce addenda est duplex Ecclesiae declaratio recens, altera Conc. Vaticani, altera Pii IX. Vaticana Synodus sic concludit Const. *Dei Filius*. " Quoniam vero satis non est haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravas eiusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae

(1) Diximus *de se*, quia requiritur ad hoc, ut aliquis sciens propositionem esse damnabilem, ei tamen tamquam verae adhaereat. Facile autem accidere potest excusatio quamdiu per Ecclesiae definitionem propositio damnata non fuerit; idque praesertim in hominibus indoctis: qui enim docti sunt tenentur maiorem curam et diligentiam in hoc adhibere, et ideo difficilius excusabuntur.

et prohibitae sunt. „ Pius IX vero in litteris ad Archiep. Monacens. et Frising. d. 21. Dec. 1863. declarat, sapientibus catholicis haud satis esse ut Ecclesiae dogmata recipiant, sed etiam opus esse ut se subiiciant " iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram. „ In Encyclica autem *Quanta cura*, d. 8. Dec. 1864. inter ceteras opiniones, quas *ab omnibus Catholicae Ecclesiae filiis, velut reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi vult atque mandat*, sequentem recenset: " Illis Apostolicae Sedis iudiciis, et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae eiusdemque iura, ad disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla catholicae professionis iactura. „ Hinc art. 22. relatus in Syllabo: *Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.* (1)

Quaer. IX. **An propositio theologice damnabilis possit evadere non damnabilis?**

Respondeo I. Nulla difficultas est, si sermo sit de mera prohibitione, quae fiat, docendi aliquam doctrinam, idque propter prudentem oeconomiam, ex. gr., ad bonum pacis servandum etc. Patet enim, in rebus huiusmodi posse successu temporis mutationem accidere. Ceterum in

(1) Quaeri potest etiam hoc loco ad quodnam vitium tale peccatum referatur. Suarez (l. c. n. 4.) malitiam quasi intrinsecam huius peccati reducit ad vitium curiositatis in materia supernaturali oppositum virtuti studiositatis, secundum illud Apostoli, Rom. xii. 3. *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem;* et Eccli. iii. 22. *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris et in pluribus operibus Dei noli esse curiosus.* Contradicit Card. De Lugo (*De Fide*, Disp. 20. n. 134, 135.). Nobis tamen modus explicandi a Suarezio allatus magis practicus videtur, si quis rem attente consideret prout in praxi accidere solet.

hoc casu non est propositio, quae e damnabili evadit non damnabilis, sed solummodo opportunitas vel etiam obligatio silentii in illa docenda, mutatis circumstantiis, cessat.

Respondeo II. Si sermo sit de propositione quae non damnetur ratione doctrinae, quam enuntiat, sed ob inordinatum usum verborum quibus effertur, potest fieri ut, mutatis circumstantiis, mutetur etiam vel temperetur significatio verborum, et consequenter propositio quae uno tempore hac sola ratione damnabilis erat, successu temporis innoxia evadat et non damnabilis. Cf. Lugo (*De Fide*, Disp. 20. n. 104.).

Respondeo III. Si propositio damnabilis sit tamquam haeretica, manifeste patet eam semper fore huiusmodi. Fides enim Ecclesiae est immutabilis: quare quod semel vel definitur ut haereticum, vel ut tale credit Ecclesia universa, semper et in aeternum manebit haereticum. Propter simile argumentum, idem est dicendum de propositione, quae damnabilis est tamquam erronea eo quod contradicat conclusioni theologicae, quae per evidentem consequentiam deducatur ex aliquo principio fidei. Nequit enim ab huiusmodi nota abstergi, nisi falsificetur vel principium fidei unde derivatur conclusio cui opponitur, vel naturalis evidentia; quorum utrumque est impossibile.

Respondeo IV. Si propositio sit temeraria, nondum tamen ut talis ab Ecclesia definita, potest successu temporis hanc pravitatem amittere et probabilis evadere. Vide Lugo (l. c. n. 128.). Utrum vero idem dicendum in hypothesi, quod talis definitio accesserit, controvertitur apud theologos. Negant Ripalda (*De Ente Supern.* to. 3. Disp. 1. n. 59.), Viva (*Trutina*, q. prodroma, n. 18.), aliique, qui dicunt, propositiones omnes, quas Ecclesia damnat, esse certo falsas etiam speculative. Contradicunt Suarez (*De Fide*, Disp. 19. sect. 6. n. 3. arg. 3.), Lugo (*De Fide*, Disp. 20. n. 114.), Croix (Lib. 1. n. 204.), Gauthier (*Prodromus ad theol.* Diss. 2. c. 2. a. 4. § 10. 11.), Franzelin (*De Trad.* th. 12. schol. 1. Princ. 4. corol. *c.*), Schrader (*De theol. gener.* n. 82. in notis.). Confer tamen simul quae prudenter ac sapienter addit Card. De Lugo (l. c. n. 129.), nec non Croix (n. 205.).

Quaer. X. **Quomodo interpretandae sunt censurae theologicae latae ab Ecclesia?**

Respondeo sequentes regulas servandas esse.

I. Huiusmodi interpretatio tuto non fit nisi vel a iudicibus in materia fidei, vel a viris in theologia multum versatis. Generaliter autem tenendum est prae oculis, censuras huiusmodi esse strictae interpretationis, utpote in materia odiosa. Cf. Suarez (*De Gr.* Proleg. 6. n. 14. 15. 16.).

II. Si plures propositiones damnentur vel sine ulla determinata censura, vel cum pluribus disiunctim et *in globo*, ut aiunt, quantum est ex vi definitionis ecclesiasticae nulla determinata censura in particulari unicuique earum applicanda est. Sufficit in hoc casu credere, quod propositiones sic damnatae aliquam notam theologicam mereantur. Quaenam vero haec sit, theologorum iudicio relinquitur determinandum.

III. Si propositio damnetur *in sensu auctoris*, censeri debet damnata secundum sensum obvium, quem contextus verborum, quibus auctor in suo libro illam expressit, attenta hominum institutione usuque, menti nostrae solet obiicere. Ceterum nota, quae sapienter animadvertit Suarez (*De Gratia*, Proleg. 6. c. 2. n. 12. 13.).

IV. Si propositio damnetur *prout iacet*, intelligenda est damnari in eo sensu, quem habent verba secundum se, et ab omni contextu divulsa; quicumque demum sensus fuerit in mente, vel exprimatur in libro auctoris, qui forte propositionem illam per antecedentia et consequentia modificavit.

V. Ut contradictoria fiat propositionis damnatae, opus est utique imprimis esse dialecticum, sed hoc minime sufficit, sed opus est etiam esse theologum, ut sapienter animadvertit Schrader (*De theol. gener.* pag. 136. n. 82.).

VI. Singula verba, quibus continetur propositio damnata, consideranda sunt; saepe enim contingit, ut ex unius voculae detractione vel additione propositio non amplius sit damnabilis. Cf. Lugo (l. c. n. 130.). Multo minus mutare licet gradum censurae, quem Ecclesia declaravit.

Quaer. XI. **Utrum decreta Congregationum Romanarum ad doctrinam pertinentia, quae a Sancta**

Sede specialiter non fuerint approbata, possint efficere, ut propositio probabilis evadat improbabilis?

Respondeo *negative*. Nam auctoritas Congregationum, licet magni facienda sit etiam in huiusmodi decisionibus, de se tamen non facit argumentum certum, prout idem affirmant theologi omnes de Ecclesiae Patribus, Episcopis, et Doctoribus seorsim sumptis, et de Conciliis Provincialibus. Ceterum, quoniam ex hac ipsa ratione praesumi debet, quod non damnent, nisi quae iam sint improbabilia etiam independenter ab earum decisione, *practice* et *regulariter loquendo* interius mentis obsequium huiusmodi etiam decretis debetur. Cf. Litteras cit. Pii IX. ad Archiep. Frising. d. 21. Dec. 1863. nec non Lugo (l. c. 159. 162.), Gotti (*De locis*, to. 1, q. 3. dub. 9. §. 2.). Neque existimo, quod plus voluerit dicere Card. Franzelin in hoc puncto (*De Trad.* th. 12. Schol. 1. Princ. 7. coroll. *c.* edit. an. 1875.).

Consulto locutus sum de Decretis a Sede Apostolica *specialiter*, vel ut alii loquuntur, *in forma specifica*, non approbatis. Si enim talis approbatio intercesserit, quoties nempe Decretum S. Congregationis Summus Pontifex effecerit suum, et ut suam definitivam sententiam promulgari voluerit, tunc manifeste patet, sententiam oppositam esse omnino respuendam, et omni, si quam forte ante habuerit, probabilitate destitui.

INDEX

DE VERBO DEI

PRAENOTIONES — Divina revelatio — Propheticus sermo — Spiritus Sancti inspiratio — Scriptura sacra — Traditio sacra . . . . . *Pag.* 1

De divinitate Scripturarum.

THESIS I. Divina auctoritas Scripturarum . . . . . „ 20
„ II. Divina inspiratio Scripturarum . . . . . „ 28
„ III. Unanimis Patrum consensus de inspiratione Scripturarum . . . . . „ 34
„ IV. Canon Scripturarum . . . . . „ 55

De usu Librorum sacrorum.

„ V. De obscuritate Scripturarum . . . . . „ 64
„ VI. Legitimus Scripturarum interpres et iudex . „ 67
„ VII. De authentia Vulgatae versionis . . . . . „ 79
„ VIII. Lectio Librorum sacrorum . . . . . „ 86

De verbo Dei non scripto.

„ IX. Existentia traditionum apostolico-divinarum . „ 91
„ X. De traditionibus divinis mere oralibus . . . „ 100
„ XI. Praesidia sacrae traditionis conservandae et transmittendae . . . . . „ 104
„ XII. Criteria sacrae traditionis . . . . . „ 120

EX TYP. HENRICI SPEIRANI ET SOC. — TAURINI 1895.

1797

220.15
Sch 31

Schiffini Sandet

AUTHOR

De Verbo Dei

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	FR. DONOVAN	

1797